BSB Bayerische StaatsBibliothek
Münchener DigitalisierungsZentrum
Digitale Bibliothek

Dorn, Gerhard

Artificii Chymistici, Physici Metaphysicique ... pars quarum summarium versa pagella dabit. Accessit etiam Tertiae parti, de Praeparationibus Metallicis in vtroque Lapidis Philosophor[u]m opere maiore minoreq[ue] Tractatus excellentissimus
Bd.: 2/3

[S.l.] (1569)

Alch. 77 b#Beibd.1
urn:nbn:de:bvb:12-bsb00035228-8
VD16 D 2400

ARTIFICII

CHYMISTICI

PHYSICI, METAPHYSI-

cique, Secunda pars & Tertia, quarum ſummarium verſa pagella dabit.

Acceſsit etiam Tertiæ parti, de Præparationibus Metallicis in vtroque Lapidis Philoſophorú opere maiore minoreq; Tractatus excellentiſsimus.

Gerardo Dorn Authore.

M. D. L X I X.

SVMMARIVM.

Secunda pars huius Artificij duobus tractatulis absoluitur.

Prior, Commentaria quædam in Tabulam Smaragdinam Hermetis Trismegisti Philosophorum celeberrimi continet, Physica necnon Metaphysica.

Posterior, unionem Ternarij Metaphysici, per speculatiuam exponit Philosophiam.

Tertia pars etiam duos Tractatus habet.

Prior, mineralem Genealogiam Allegoricis & moralibus colloquijs proponit.

Alter, nudis uerbis omnium Præparationes mineralium, & metallorum, lapidumq; pretiosorum fabricationes, ac Philosophorũ opus manus minusq; docet.

ILLVSTRISSIMO
PRINCIPI FRIDERICO
Palatino Comiti, Sacri Imperij Archidapifero, Duci Bauariæ, &c. Salus.

TAM experior, Illustrißime Princeps, ea, quæ superiori suasit anno mihi Veritas, fœliciter succeßiße. Nam Auiculæ meæ, cuius volatum ad Illustrißimam Celsitatem tuam direxi, pennæ supercreuerunt, vt sub eius Patrocinio, tutò viuere potuerit hactenus absq; metu. Animum hoc addidit Animo sanè propensiorem, ad Naturæ secreta latiùs detegendum acutis ingenijs: quodam seruato moderamine tamẽ, ne videar ipsam indecentiùs, quàm par erat, suis nudaße mysterijs. Nec semper latebris

occultam esse decuit, aliàs in obliuionem ducta, falsis conculcata fuisset artibus. Quid Luce naturæ supernaturaliq; post cognitionem Dei tamẽ excellentiùs? Quid cognitu desideratiùs & intellectu iucundiùs esse potest? Altera Theologia verè nominanda venit, qua quicunque fuerit illustratus, omnia sibi cognita fore latereq; nihil posse, necessum est. At nemini contingit, præterquam illi, qui à Datore luminum receperit. Non est hæc Philosophia quam tractamus, Princeps Illustrissime: quod C. T. perquàm optimè notum est, vulgaris, aut quibusuis, licet etiam Doctis cognita: sed paucissimis familiaris & his tantùm, scilicet qui reducti sunt ad similitudinem eius quod quærunt: alijs reperiri vel intelligi nullo modo poterit unquam. Hinc fit, vt etiam artem, qua peruenire licet ad Vnionis perfectionem,

perfectionem, Chymiſticis addiderim: vt illis nempè qui ſeſe dare cupierint abditorum & arcanorum Studijs nihil eorum deſit, quibus prodeſſe poſſim ipſis, & omnibus. Potißimùm in his deſcribendis mihi Studium hoc fuit præ cæteris vt rem quantò clariùs fieri poſſet, ex vna detegerem, ex altera parte, ne Philoſopho loquatior extitiſſe dicerer ab alijs: ſua ſunt enim quibuſuis obſeruanda media. Qualecunq; ſit igitur opuſculum hoc, C. T. dicatum eſſe debuit, cui rerum abditißimarum, & excellentißimarum Artium ſumma cum peritia commendatio ſemper cõiuncta fuit. Idipſum certißimum reddere me poteſt, alterius huius noſtri fœtus tutelam, Veritatis in eo contentæ ſaltem libenter fore ſuſcepturam. Sic fiet, vt nullus eorum qui Veritatem in omnibus præter Verita-

tem & AEquitatem opprimere conantur, vix audebit hiscere. Princeps Illustrißime, fœlicißimè viuens plurimos in annos, Vale.

Illustrißimæ Celſ. T.

Seruulus infimus.

Gerardus Dorn.

AD LECTOREM

PRAEFATIO.

MELIVS profectò quàm ab eius authoritate, qui fuit huius tam excellentis, imò Diuinæ potiùs artis, in obliuionem ob Diluuium fermè ſepultæ, primus poſt Deum uindex & reſtaurator, exordium in eius tractatione ſumi non potuit: Hermetem puto Mercurium Triſmegiſtum. Is poſteritati ſeruatum ſub verborum breuitate, quæ ſermo Veridicus, à Philoſophis nuncupatur, eſſe uoluit. Verùm quòd ænigmatica forent, uariij fuerunt eorum interpretes, iuxta quorumuis diuerſam etiam ingenij capacitatem. Omnes

tamen quotquot hãc difficilem admodum prouinciã aggreſsi ſunt, ad lapidem Philoſophicum (ut uocant) allegorico ſenſu deflexiſſe notum eſt omnibus. Ego tamen quod ſummè neceſſarium, & Authoris menti conſonum fore uiderem, ad Medicam artem in ſtudioſorum utilitatem, & uniuerſæ Reipublicæ commodum expoſui. Patet ex concluſione quam facit Author ſub finem, opinionem eius non de metallis tantum intelligendam fore ſub ænigmate quod ponit, ſed etiam de Vegetabilibus & Animalibus: quod infrà ſuo loco latiùs explicabitur. Hac ratione duo alia rerum omnium genera generaliſſima, tacitè ſolum attigiſſe, quod cęteros hoc feciſſe uideam, nolui: nec imitari nec redarguere, ſed unicuiq; ſuam opinionem

inte-

integram relinquere proposui. Poteris igitur optime Lector, si lapidem illum quæsieris ad metallorum, tollendam lepram, exactiùs ab alijs, qui de hoc negotio magis quàm ego fuerunt anxij, petere. Si tamen cupis Medicinam illam uniuersalem addiscere, de quouis trium genere dictorum tractam, quæ cunctis indifferenter humani corporis mederi morbis ualeat: conabor totis uiribus in tui gratiam, quicquid eius apud me fuerit abditi, reuelare. Certum est, animalibus, Vegetabilibus, & Mineralibus, tàm superiores, quàm inferiores naturæ uirtutes, iuxta gradus positiuum, comparatiuũ & superlatiuũ inesse: ueluti priori parte potest à motuũ differentijs iudicari. Quapropter ad perfectam Philosophiæ naturalis cognitionẽ

horum trium generũ Anatomiæ noticia plena, ſimul aut ſeparatim experientia comprobata requiritur. Quos abdita naturæ latẽt myſteria (prout illi ſunt qui à Scholis publicis progrediuntur: imò qui iam à plurimis annis ea reliquerũt, domiq; partciularia coluerunt im probo, continuoq; labore ſtudia ſimilia prioribus) mirari nil mirum eſt eos, huiuſmodi Medicinam inueniri poſſe, quæ uniuerſalis & indifferens morbis omnibus exiſtat. Quandoquidem unica tantum ala (quod dici conſuetũ eſt) feruntur ſurſum eaq; plurimùm aggrauata. Manifeſtiſsima ſolùm, ut minùs & manifeſta ſubticeam, ferre ualẽt eorũ ingenia, quæ quòd illis imbuta ſint à iuuentute recẽtia, tàm fixè retinẽt, ut reliqua tũ occulta maximè, minuſq; non admittant. Relinquẽ-

di

di sunt igitur, quum pertinaces exti-
terint, in tabescẽtia sua. Verũ con
tra Veritatẽ niti si præsumpserint,
operib. & signis conuincendi sunt.
Hos in præsentiarum missos faci-
mus, & Veritatis alumnos alloqui
mur. Cuiq; sua rei Virtus inest, o-
mneq; suũ uirus habet à quo repur
gari potest arte Chymistica. Sed
quòd iuxta magis & minùs, pro-
bãda sunt omnia, nec nisi quæ per-
fectioni propinquiora, sunt assu-
menda: sic artificium ab intolera-
bili subleuabitur onere. Docui-
mus enim in parte priori, Solem &
Lunam à quibusuis modum extra
hendi. Quapropter si iuxta Patris
Hermetis opinionem Solem suæ
Lunæ coniunxeris, & igne suaui
nutriueris fœtum eorum in sua ter
ra, facile Medicinam illam perfici-
es, de qua loquitur Hermes dicẽs:

Fugiet

Fugiet à te omnis obſcuritas, &c. Verum enimuero, priuſquam opus hoc aggrediaris, eſt quod ipſum te reducas ad unitatis ſimplicitatem, ex arte Chymiſtica moraliter ab humana Metaphyſica deprompta: Qua quidem fugare diſces à te, mentis obſcuritatem omnem, & poſtmodum illuminatus ab alto, rem percipies ac Medicinam, quæ pellere poterit à corpore mente que tuis tenebras, id eſt ignorantiam, intelliges. Quam ergo tibi Philoſophiam infrà poſui, Moralem & Metaphyſicam, ſumma cum attentione mentis addiſcas, ac eam in teipſo diligenter exerceas oportet, ſi rerum, quas Pater Hermes hoc loco docet, peritus eſſe cupias. Facilioribus clarioribusque verbis docere te nullo modo

do potuiſſem, tàm in iſta, quàm in expoſitionibus Hermetis Artificij breui ſermone contenti: Quem in decem partes, uti rationi conſonũ eſt, in tui gratiam diuiſi. Mentis noſtrę ſi diſperſam intentionẽ colligere valueris, minimè fieri poterit, ut arcana Diuina hæc potiùs quàm humana te lateant. Lege igitur & relege ſæpiùs: Laborum te minimè pœnitebit, Vale.

ARGVMENTVM IN SECVNDAM PARTEM.

DOcet Hermes Philosophorum expertissimus omnium, breui sermone hoc, nullam artem fo re potiùs expetendam' ea, quà docetur corporũ naturalium in Binarium separatio, & huius per Ternarium in vnionẽ reductio. Non sanè melius exemplar dare potuit Resurrectionis humanæ, quàm ab isto suo documento. Siquidem innuit corpora naturalia rerum insensatarum, à suis Spiritibus diuisa, repurgataque, rursus illis in sui resurrectionem (hoc est) perfectionem coniungi posse. Veluti corpora humana morte separãtur à Spiritibus, animabusque suis, ut postmodùm nutu solo Dei per meliorem priore coniunctionem resurgant ad Vitam æternam. Sic etiam docet artificiali corruptione corporum insensatorum (quę mors eorum dicitur Chymistica) separare Spiritus & Animas eorũ, in Ternarij sui coniunctionem ad suam vnitatem (id est) ad potiorem vitam: licet non perpetuam, tamen excellentiorem ea, quam à natura priùs habebãt. Nam insensata motu viuunt occulto, vel in seipsa manifesto, prout in prima parte scripsimus. Postquam tamen

ad

ad vnionem ſui Ternarij methaphyſicè peruenerint, manifeſtiſsimè ſuas operationes in ſeipſa nedum, verumetiã in aliena corpora patefaciũt, ſic ut illa faciant viuere ſine ſui corruptione, donec vltimus eorum naturæ terminus aduenerit: nec ſolùm id in inſenſatis, ſed etiam in rationaliũ corpora, quod ad caducãvitã attinet, aliàsnõ efficiũt. Eſt igitur ſcopus iſtius Hermeticæ doctrinę Medicina quædam vniuerſalis, quę nõ ſolùm inſenſatorum corpora, ſed rationaliũ etiam corruptiones atque morbos omnes indifferenter auferat, illaq; diſponat, ut ad vltimũ & conſtitutũ à Deo terminum vſq; viuãt: qui quidem varijs accidentibus & petulantia hominũ ferè ſemper abbreuiatur. Nõ parum ſanè fecerint homines quũ tot, atq; tam varias naturę corruptiones amouerint. Quandoquidem vltra quòd ſanitatem corporis hac ratione ſibi conciliare valeant, Mentis etiã tenebras & velamina tollunt, quibus amotis, facilè veritatẽ percipiunt, cùm creaturarũ, tùm Creatoris omniũ. Et ita ſui, proximorumq; ſalutem ad gloriã Dei diligentiùs quærunt, petunt, & non fruſtra pulſant, quoniam inueniunt, accipiunt, & intromittuntur. Non iſto medicamento ſalutẽ acquiri dicimus, at ſolùm eo diſponi corpora noſtra, ut mẽtem & rationem à Deo datam nõ impediant ad

gloriam

gloriam Dei, noſtriq; ſalutem anhelantem. Iacto per Triſmegiſtum igitur corporei medicaminis hoc fundamento, latiùs ad mentis medelam deueniendum eſſe duximus, videlicet vnionẽ Ternarij mentalis, ad ſimilitudinem præcedentis vnionis ab Hermete poſitæ. Quapropter alterum huic ſecundę parti tractatum adiunximus, quo doceremus ex opinionibus puriorum & ſinceriorum Chriſtianæ Philoſophię ſectatorum, corpora noſtra voluntariè mori poſſe, manẽte vita naturali, ſpirituſq; noſtros ac animas intellectualiter ſeparari, non diſſoluto vinculo Phyſico. Præter & ſupra naturam autem ſeparantur, ſpeculatiua ſolùm facultate, ac rurſum caſtigatione corporis, appetituumq; ſuorum frœnatione, tandẽ ſpiritus cum anima cõfœderatione, per terrenorum abiectionem, & perpetuorum & cœleſtium amplexum, hæc tria coniunguntur in vnum. Et ita per ſimilitudinem eius, qui ſolus in trinitate perſonarum Deus vnus exiſtit, ei propinquiores, conformioreſq; reddimur ad æternam vitam, & gloriam eius. Laudetur Altiſſimus Dominus, qui miranda ſua nõ abſcondit paruulis, at mundi ſapientibus tantùm.

AENIGMATICA

VERBA SVNT HAEC HERmetis vel Mercurij Trismegisti, Patris veræ Metaphysices non immeritò nuncupati, quæ Sermo veridicus à nonnullis dicuntur.

1

VERVM est sine mendacio, certum & verissimum. Quod est inferiùs, est sicut id quod est superiùs. Et quod est superiùs, est sicut id quod est inferiùs, ad perpetranda miracula rei vnius.

2. Et sicut omnes res fuerunt ab vno, meditatione vnius: sic omnes res natæ fuerunt ab hac vna re, adaptatione.

3. Pater eius est Sol, Mater eius Luna, Portauit illud ventus in ventre suo,

Nutrix eius terra est. Pater omnis Theo-lesmi totius mundi est hic.

4. *Separabis terram ab igne, subtile à spisso, suauiter magno cum ingenio. Ascēdit à terra in cælum, iterumq; descendit in terram, & recipit vim superiorum & inferiorum.*

5. *Sic habebis gloriam totius mundi: Ideò fugiet à te omnis obscuritas.*

6. *Hæc est totius fortitudinis fortitudo fortis: quia vincet omnem rem subtilem, omnemq; solidam penetrabit.*

7. *Sic mundus creatus est.*

8. *Hinc erunt adaptationes mirabiles: quarum modus est hic.*

9. *Itaque vocatus sum Hermes Trismegistus, habens tres partes philosophiæ totius mundi.*

10. *Completum est quod dixi de operatione Solis.*

PRIMA

PRIMA PARS SERMONIS VERIDICI TRISmegisti.

De Veritate Physica magisterij.

CAPVT PRIMVM.

Expositio Physica.

VERVM est, inquit, sine mendacio, certum & verissimum. Quod est inferiùs, est sicut id quod est superiùs, & è contra.)

Suum à veritate sumit author exordium, quasi loqueretur. En fratres veritatem vobis dico. Nam præsagiuit his verbis aduenturos post eum aliquos inexpertos philosophos, qui veritatem suis in scriptis non erant obseruaturi: hoc postmodum innuit eo quod sequitur(*certum & verissimum,*)vt audietis postea. Diffinitionem veri facere videtur à contrario, sic: Verum est, quod mendacio caret,

ex aduerſo mendacium,quod veritatis expers. Quamquam ſanè melior vtriuſque diffinitio dari non poteſt,nihilominus ob vniuerſalitatem, nō ſatis ab his qui ſacris & abditis naturæ myſterijs nōdum initiati ſunt, intelligi poterit. Quamobrem elucidatione plurimùm indiget:hanc à diuiſione ſumendam eſſe duximus.Bifariam ſumi verum poteſt,ſcilicet modo phyſico, tunc verum hoc mendacio non caret: vnde conſtat authorē iſtud non intelligere, ſed verum proponere metaphyſicum, hoc eſt ſine mendacio phyſico.Siquidem natura verax eſt & mendax, id eſt incorruptibilis,& corruptibilis.Veritatem in ſui creatione per Dei verbum obtinuit: Falſitatem ex acceſſorio,cui locum dedit,etiam habere cogitur. Nec poteſt natura per ſe verum ſuum à falſo pariter ſuo vindicare vel ſeparare, niſi metaphyſico ſit adiuta magiſterio.Patet igitur Phyſicam verſari tā in falſitate naturę,quàm in eius veritate:Metaphyſicam autem, in ſola rerum veritate naturalium à ſuo repurgata mendacio . Itaque veritas vniuſcuiuſq; rei propriè dicitur eius incorrupta natura.Non eſt quòd cum plurimis quiſpiam exiſtimet, Hermetem hoc loco vulgariter tantùm eſſe locutum ſuis filijs: ac ſi voluiſſet illis innuere ſimpliciter ſe veritatem loqui, ſed etiā ſub rudi ſermone quibuſuis

buſuis vſitato, nec non ſub quauis dictiuncu la maximũ naturę myſterium incluſiſſe. Hac de cauſa videlicet, vt qui non ſunt eius filij, videntes non percipiãt, & audientes non intelligant. Siquidem arcana tutius occultari non poterunt, quàm ſub manifeſto quum latuerint. Idipſum videmus indies per naturã facere voluiſſe Deũ in omnibus, vtpote ſub vili pretioſum ne reperiatur ab indignis, cõtegere. Quantũ auri vilis arena, lutũ & ſpreti lapides velãt oculis cernentibus, quę manus abijcit ignorantis, & pes conculcat inſcius? Quàm occultè ſteriles regiones opibus ditauit incognitis, quas negauit fertilibus? Quid conqueruntur adhuc mortales anxij, cùm Deus omnia dederit omnibus, dicens: Quærite & inuenietis, at Regnum Dei primùm, & omnia adijcientur vobis. Eſt itaque negligentia cuiuſq; ſua paupertatis & inopiæ potiſſima cauſa: poſt eam tamẽ, qua Deus voluit pauperes ſemper adeſſe diuitibus, vt in illos iſti ſuam charitatem exerceant, eumq; hoc ipſo fateantur, qui cùm diuitias omnes diſtribuat omnibus, ipſemet in terris pauperrimus eſſe voluit. Hinc fit etiã vt in omni lapide, vel arena quauis aurum non habeatur, & ea cognoſcere quæ continent illud, non ſit omnibus datum cœlitus. Redeamus iam vnde progreſsi, videlicet ad

rerum veritatem, quam docet Hermes hac arte quærendam, & à vili nec non abiecto Margaritam fore seperãdam priusquam aggrediamur.

De Certitudine & Veritate metaphysicis huius artificij.

CAPVT SECVNDVM.

Expositio metaphysica.

CErtum & uerissimum.) Hæc particula metaphysicè venit interpretanda. Quoduis enim elementatum aliud in se cõtinet præter elementa, quod quidem omnibus minimè notum est, sed paucissimis, & longè paucioribus certum. Exempli gratia: Plerisque notum est aliquos lapides & nonnullam arenam aurum in se continere: verũ nemini certò constat, præterquam illis, qui rei huius fecerunt periculum (id est) qui per experientiam artis illud extraxerunt: hi soli dicere possunt id certum esse. Quod quidẽ author hoc loco vult, nempe nobis artem authoritate quadam reliquas omnes excellente, quæ est experientia, probare: ac si loqueretur. Expertus ipsemet ego sum artem hãc fore certam & verissimam, quia non hominum tantùm authoritatibus vel scriptis, at experimento certitudinem eius didici. Notandum est igitur, quod suprà, *uerum & sine mendacio.*

mendacio, physicè protulit, nũc idipsum altiùs & metaphysicè repetere nostrum pręceptorem: non secus atque loqueretur. Physicis corporibus inest quædam veritas incorruptibilis occulta, de qua per metaphysicum artificium, certior factus sum eam fore Medicinam verissimam. Ex his luce clariùs appareret, naturales philosophos opinione veritatis, ab indicio quopiam physiognomia rerũ naturalium, aut effectus apparetia facto, vel scriptorum authoritatibus duci tantùm: Supernaturales verò solius experientiæ fore discipulos, à qua veritatis etiam certitudinem addiscunt. Binæ sunt itaque viæ quas philosophos ingredi contingit, opinionem scilicet, ac experimentum. Harum alteræ dunta xat innixi, sese nec nõ alios doctrina sua vel opera falli necessum est. Quicunque tamen vtramq; rimati iudicarint alteram ex altera, hi suo labore non frustrabũtur, nec alij quibus opem ferẽt aut cònsilium. Opinio quidem dubia proponit, philosophicis tamẽ rationibus apparentia vera: quæ demùm experientia verificari debent. Nec refert, si vulgari modo prout verba sonant, Hermetis affirmatio sumatur, hoc modo. Veritatem vobis dico, non mentior: certò quidem expertus sum, hanc artem fore verissimam, quam vos his verbis doceo.

De probatione Metaphysici magisterij.

CAPVT TERTIVM.

Expositio physica.

Quod est inferiùs, est sicut id quod est superiùs, & è contra.) Postquàm de veritate protestatus est, ad eius probationem ex physica vera deductam, progreditur. Est verum inquit, elemẽta hęc inferiora, vnius, & eiusdem substantiæ fore, cuius & cœlum ipsum, nec aliàs inter sese differre, quàm accidẽtaliter: hoc est vti corruptibile, & incorruptibile, purum & impurum, graue & leue, serenũ & opacum, agens & patiẽs, mas & fœmina, &c. quæ omnia sunt accidentia non substãtiæ. Cœlum enim est incorruptibile, hinc fit vt eorum quæ corruptibilia sunt (elementa puta) nullum altius attollitur, quàm ad sphęræ proximæ conçauitatem, in qua graditur Lunæ corpus & circumuoluitur. Eius rei causam fore dicimus, quia non habet patiẽs in suum agens potestatem, at è contra: quo fit vt cœlum elementis, & non hæc illi misceantur naturaliter. Sed quamuis elementa patientia fore dicamus, intelligendum est hoc respectu cœli, siquidem in sese mutuò per corruptionis motum agere possunt, vt

ignis

ignis in aquã & in terram agit, & in ignem aqua: verùm actiones & passiones istæ nihil permanentis generare possunt, vti videtur ex aqua per ignem subtiliatione quadã aër generari, qui tamẽ rursus in aquam, & ignis in seipsum redit naturaliter. Non ita videmus de cœlicis actionibus in elementa fieri, quoniam ex eis generantur corpora naturalia, quæ per naturam in cœlum, aut in elemẽta rursus non reuertuntur, at cõtra vel supra naturam, vti morte vel magisterio. Sunt & aliæ generationes meteoricis non absimiles, quamuis tales hactenus existimatæ non fuerint, non in cœlo, sed in elementis, aëre scilicet igneq;, sub terra factę, quæ etiam actionibus iuuantur cœlestibus, vt sunt metallicę. Non potest in cœlo generatio perfecta, non magis quàm in masculo fieri, nec in elementis absque masculo, non magis quàm in fœmina, sed vtrunq; generationis est pars altera. Fuit igitur hęc differentia necessaria, separatione duorum ab vno facta, sicuti postea narrabitur. Dicet fortè quispiam, si cœlum & elementa sunt inter se differentia, quî fit vt author eadem fore dicat? Loquitur de identitate substantiæ, non accidentium, quod postmodum explicat, vt audietis in sequentibus. Est etiam ipsarum substantiarum generare, non accidentium: licet ista sint admi-

niculo, generationemq; naturalem promomoueant, non tamen inchoare per se possunt, non magis quàm absq; substantijs persistere.

De similitudinis inferiorum & superiorum fructu.

CAPVT QVARTVM.

Expositio metaphysica.

SImilitudinem istam in vnitate postmodum concludit Hermes, inquiens, *Ad perpetranda miracula rei unius.* Metaphysicè iam explicat ea quæ physicè proposuit, ac si loqueretur. Oportet admirandorum artificem habere cœli notitiam & elementorũ perfectissimam, identitatis eorum & conuenientiæ, priusquam ad vnicum totius philosophiæ scopum & Medicinę terminum perueniat, quo medicamentum vniuersale fabricet miracula patrans: quod solum possit indifferenter omnibus mederi morbis, tam incurabilibus (quos vocant) quàm alijs. Nõ est sanè mirandum, si pauciſsimi sint etiam docti viri Medici, qui hãc artem credere possibilem valeant, cùm summa sit admiratione digna, his etiam qui fuerũt experti: quid ignaris? Verùm si quis consideret magnalia Dei naturæ per ipsum inclusa, licet admiretur,

tur, cum veneratione maxima, non impoſsibilem iudicabit. Impoſsibile tamen vt aliquis mortalium eam intelligat, niſi diuino ſit priùs illuſtratus lumine: tum etiam fabricando miranda viderit in hac arte prodere ſe, quæ doctiſsimorum, & mundi ſapientum occulta ſunt oculis ac menti. Poterit etiam illuſtratus, ex permiſsione diuina quempiã diuinitùs electum illuſtrare verbis philoſophicis, quæ qui non intellexerit, non electũ ſe putet, aut electionis horam ſui nondum aduenisſe. Nam euenire quandoq; ſolet, vt poſt multos annos, labores & ſtudia maximis etiã facta ſumptibus, quidam electi ſint pulſationibus, orationibus & inueſtigatione ſedula. Dicit enim Chriſtus Pulſate & aperietur vobis, petite & dabitur, quærite & inuenietis. Eritigitur hac ratione quiuis ad hãc artem electus, modò Chriſti verbum ſequutus fuerit. Pauciſsimi tamen reperiũtur qui perſeuerant in finem vſq;. Ne vobis opera mea hac in re defeciſſe videatur, adferam in medium ea, quæ mihi concredita ſunt hactenus ad intelligentiam iſtius excellentiſsimæ ſcientiæ, Medicinam Patrum antiquorũ vnicam & vniuerſalem docentis.

De

De Vniuerſali Medicina.

CAPVT QVINTVM.

Expoſitio phyſica.

AVdite qui aures ad audiendum habe tis. Huiuſmodi Medicinam oportet vt cœlum, incorruptibilem, penetratiuam, & agilem exiſtere, quæ non ſecus ac illud in elementa, hæc in corpus phyſicum agat. Nunc videamus quæ'nam ſit operatio cœli cum elementis. Certum eſt ea fore mortua, ſicuti cadauer ſeparatum ab anima: ſi cœlum itaque ſepararetur ab elementis, nõ mouerentur ad corruptionem & generationẽ, neque ſurſum aſcenderent, vt ignis, &c. Nec propterea cœlum actiones ac vitam amitteret, Rerum itaque naturalium omnium vita cœlum eſt: vita mortis excluſio, cuius initiũ infirmitas. Quicunque Medicus igitur corporibus ægris, incorruptibile cœlum metaphyſicum, intrinſeco languentiq; cœlo phyſico nouerit coniungere, vitam Deo dante ſanam reſtituet per miraculum vnius. Nam languens & coniunctũ vtrumque cœlũ vnũ & idem eſt: vnde per ſimilitudinem auctum quod corruptis opprimebatur, obtinet victoriam, inimicosq; facillimè ſupprimit. Verùm quánam arte fieri poſsit, vt cœlum tractemus

ſtemus noſtris manibus, & ægris corporibus adminiſtremus, docet Hermes his quæ ſequuntur verbis.

De comparatione inferiorum ad ſuperiora, & iſtorum ad illa.

CAPVT SEXTVM.

Expoſitio metaphyſica.

Quod eſt inferiùs (intellige cœlum) *eſt ſicut ſuperiùs* (vtpote cœlum) *ad perpetranda miracula rei unius*, (medicinæ ſcilicet vniuerſalis,) &c.

Satis clarè docet cœlum apud nos fore nõ ſolùm apud nos, at etiam in nobis, & fortius in omnibus rebus à natura productis. Quid manifeſtius dici poſſet? Vis audire latius. Vnio corporis cum anima vita eſt, & horum diſſolutio, mors. Eſt igitur vnica Medicina quæ vitam adauget, languentemq; refocillat, & non plures: hoc ipſum docet author ab exordio ſecundæ partis inquiens, vt ſequitur.

SECVN-

SECVNDA PARS.

De probatione metaphysici magisterij, per mundi creationem.

CAPVT PRIMVM.

ET sicut omnes res fuerunt ab vno, meditatione vnius, sic omnes res natæ fuerunt ab hac vna re, adaptatione.)

Concludendo metaphysicè iam probat ac physicè, quod metaphysico modo fieri posse docet ex corporibus physicis: quasi loquerctur. Non aliàs quàm res omnes ab vno Deo creatæ sunt creatione vnius rei creatæ, sic omnes res productæ sunt ab vnica natura, per separationem eius. Et sicuti Deus vnus est & non plures, vnum etiam per vnũ verbum ex nihilo creare voluit, quo cõtinerentur omnia, Deus vt foret in omnibus vnus. Declarare visum est mihi, cur ego sententiam aliorum commentariorum hoc loco sequi noluerim, nec in plerisq; alijs. Percepi nõ esse Hermetis opinionem, vt per vnũ in hac particula, ab vno, globum confusum quem Cahos appellarunt Poëtæ, sed vnum Deum intelligamus, cùm postea subdat, ab hac

hac vna re natas, id est, ab vna massa confusa productas esse. Dixit enim in prima parte, *Ad perpetranda miracula rei unius*, & non vnius absolutè, sed rei, quam repetit in fine conclusionis: natę sunt, inquam, ab hac vna re, non dicit ab vno sicut antea dixerat, *fuerunt ab uno meditatione unius*. Notanda est etiam hìc differentia, quam tacitè facit author inter esse, & nasci: quandoquidem à natura nulla res habet esse quod est, sed ab ea solùm res omnis producitur vel nascitur, ex eo quod esse habet ex nihilo per verbum eiusq; virtutem, & non ex verbo recipit essentiam: hoc ipsum est prima creatura nempe natura. Sed authoris nostri sententia deprauata mihi videtur, mutilataq; per omissionem dictionis creatæ, negligentia potius quàm typographiæ, traductorum, & ita restituendam esse duco. Sicut omnes res creatę fuerunt ab vno Deo, creatione vnius rei, meditatione (id est, solo nutu facta Dei.) sic omnes res natæ fuerunt ab hac vna re per adaptationem. Innuit his verbis Hermes luce clariùs, Medicinam hãc vniuersalem ad imitationem creationis mũdi fiendam, quod postea fatetur inferiùs, quum dicit. *Sic mundus creatus est*: quæ quidem particula meam probat opinionem, & non perperam neque temerè me quod mutilum fuit restituisse. Colligendum est igitur

igitur ex his, metaphysicum opus hoc ad medicinã vniuersalem esse, veluti mundi creationem, vtpote supernaturale. Postmodum ex creatione metaphysica, naturalem & physicam generationem à similitudine quidem vnitatis, & non operationis concludit, nam ad operationem artis nõdum peruenit, sed compendiosè priùs eam firmissimis argumẽtis, cõtra quosuis detractores & ignaros corroborare conatur, quàm aggredi: ne filij sui reprobantium nugis perterriti remorentur.

De fœcunditate primæ creaturæ.

CAPVT SECVNDVM.

Expositio physica, nec non grammatica.

SVbdit author post creationem vnius rei per vnum Deum, eiusdẽ rei fertilitatẽ, inquiens: *Sic omnes res natæ fuerunt ab hac una re.* Creatorũ hîc docet vnicũ fuisse genus generalissimũ, à quo reliqua genera, species, & individua nata sunt naturaliter, indiesq; propagantur in finem vsque seculi. Non est quod quispiam putet hanc rem vnã ad Creatorem vnum se referre, sed ad creaturam vnam, scilicet naturam, quod præpositionem (hac) denotare videt quisquis rei grammaticæ gna-

cæ gnarus est. Nam si genitiuus vnius in hac oratione (*fuerunt ab uno meditatione unius*) referretur ad ablatiuum (*ab uno*) quod præter omnem latini sermonis rationem est, quia potiùs dixisset, (*fuerunt ab uno meditatione eiusdem*) certum est eum etiam dicere debuisse postea, *sic omnes res natæ sunt ab hoc uno*. Hæc tantùm à me dicta sint, vt lectorem admoneam à dubia philosophorum phrasi cauendũesse. Non quod Hermetem ita scripsisse dicam, sed eius interpretes nudam authoris sententiam alijs inuidentes omnibus pręterquàm sibi, dubiam interpretatione sua commentarijsque reddidisse. Quod facilè percipient illi, quotquot alia commentaria legentes, acutè rem ipsam perpenderint: vtpote sui lapidis interpretationem textu longè difficiliorem, & obscuriorem intellectu fore. Sed quid vnum, & vna res apud Hermetem extiterint, est quod interpretemur, è re media, non metallaria, sed humana.

De uno creato, per unum increatum.

CAPVT TERTIVM.

Expositio metaphysica.

DEus hoc vnum est quod ante sæcula solum esse trinum in vnitate fuit ab

æterno, quodq; sibi simile creare voluit, vtpote naturam vnam, primã creaturã, & mundum vnum. Hic enim spiritu, anima & corpore constat. Est aliquorum Philosophorum sententia rerum naturalium spiritum esse medium inter animam & corpus, qua ratione tamen id probent non constat. Ego quidem hoc argumento ductus, existimo spiritum & corpus esse duo extrema contraria, tanquam subtile & spissum, quæ postmodũ Hermes commemorat, quum ait, *Separabis*, &c. Quod si concedatur, animam esse medium oportebit, aut aliàs qui spiritum esse medium affirmauerit, subtiliorem spiritu fore dicet animam, quod absurdum est. Nam anima naturalis nihil aliud est, quàm ipse motus corporũ, qui videtur, sensibusque percipitur magis, quàm ipsa causa motus, id est, ignis æthereus. Probabiliùs: dicimus vitam vnionem esse duorũ, spissi videlicet ac subtilis: quod ista connectere debet, oportet vtriusque naturæ fore participans veluti agẽs & patiens, naturalia per vtrumque motum actiuum & receptiuum, tertium quid producunt ex sua substantia: quod non solùm accidens est, sed etiam substantia, quia similis est generatio naturalis partibus generantibus. Tertiò causa quæuis est motu subtilior & effectu, quia motus est initium, & effectus finis motus.

motus. Exempli gratia, si faber domum extruere debeat, hæc tria potissimum necessaria sunt, scilicet ars aut ingenium, quæ spiritus existunt: motus aut operatio, quæ sunt animæ: deinceps ipsa materia, quæ corpus artificij refert. Si quis dicat hoc loco motum accidens fore, concedimus: at in operationinibus naturalibus negamus, quia commiscetur vtrique substantiæ spiritus & corporis, motus substantia quæ ab vtraque procedit: hoc probatur à continuo motu vegetabiliũ, animalium, & mineralium in suis generationibus, aut operationibus. At in artificiali motu, cui nulla suffragatur natura, deducto ad suum effectum artificio cessat in eo motus omnis. Concludentes dicimus nullum posse fieri motum absque motore, motoq; tria sunt igitur ad vitam naturalem necessaria hæc, velut anima, spiritus & corpus, quæ coniuncta simul omnia, naturale quid vnũ efficiunt. De spiritu rationali verò, nullam hîc mentionem facimus, quia naturalis non existit, quapropter huic non est artificio subiectus, at istud illi.

De comparatione physica metaphysicæq; dispositionis, ad creationis ordinem facta.

CAPVT QVARTVM.

Expositio partim physica, partim metaphysica.

NVnc supereſt vt poſtremam ſecundæ partis dictionem enucleemus, adaptationem ſcilicet, correſpondentem priori dictioni meditationi, quam hoc loco declarandam ſeruare volui. Non abſimili modo quo Deus omnia ſub vna re meditatione, hoc eſt ſolo nutu creauit, & poſtea per diuinæ ſuæ mentis ordinem diſpoſuit, ſic etiam res omnes ab hac vna re natæ ſunt adaptatiõe, id eſt, ſola diſpoſitione phyſica vel ipſius naturæ. Poſtquam D. O. M. naturam ſolam & vnicam in ſe tamen omnia continentem creaſſet, in ſuas partes diuiſit eam: patet ex Sacra Geneſi his verbis: Et diuiſit aquas ab aquis, quæ licet ibidem cœlum & terra nominentur, non tamen diſcretè, ſed confuſæ creatæ ſunt. Innuit enim per cœlum & terram Propheta Moſes, Deum ſub duabus partibus in vno concluſis omnia creaſſe. Hoc ipſum dicere videtur Hermes quum inquit. *Quod eſt inferiùs, eſt ſicut id quod eſt ſuperiùs, & è contra, ad perpe-*

perpetranda miracula rei unius. His verbis Hermetem Trismegistum ab Hebræis edoctum Dei fuisse cõstat, licet Ægyptius fuerit, vt Augustinus testatur li. de Ci. D. Suidas, &c. Naturæ massam illam Deus in Cœlum (quod *superius* esse dicit Hermes) & in Terram (quã *inferius*, nominauit) numine suo (quod *meditationem* vocat) mira discretione diuisit. Non voluit aliàs, vt in seipsa manens vna generaret natura, nec Adam. Quapropter hæc separatio necessaria fuit, in eorum genetationẽ quæ continuit, id est, vt de potentia deducerentur in actum. Sub isto binario spirituali corporeoq;, tertium quod vinculum est sacri matrimonij cõtinetur: hoc ipsum est medium particeps extremorum suorum, sine quibus ipsum, nec ipsa medio sine persistere possunt extrema. Verùm dicet quispiam sententiam esse philosophorum omnium artẽ istam intelligentium, non fieri transitum de vno ad aliud extremum, nisi per medium: docere tamen videtur Hermes hîc, sumendum esse motus initium ab imperfectiore per medium ad perfectius illi, qui summam perfectionẽ artis adipisci velit: aliàs qui trãsitum fecerit à perfectiore ad imperfectius, imperfectum opus consequi talem, & ea de causa præposuisse inferiùs superiori mox ab initio. Nos contrà docemus in speculatiuis,

vtpote ſumendum initium à perfectiore, ſpiritu videlicet, per animam, ad imperfectius, quod corpus eſt fiendum eſſe tranſitum. Reſpondemus, fatuum eſſe putare hoc loco doceri tranſitum ab Hermete, cum nõdum ad artem peruenerit, ſed ſimilitudinem tantũ ambarum extremitatum. Imperfectiora fore propter impuritatem & compoſitionem eorum elementa hæc inferiora cœlo certum eſt, quod etiam ex elementis conſtat ſimplicibus, in vnum tamen elementum per vnitatem in cœlum reductis. Eſt igitur ab inferioribus ad ſuperiora ſcandendum nobis, quòd in inferioribus iam exiſtamus, & ſuperiora ſecreta minimè tractare poſsimus, at benè quæ permiſta ſunt inferioribus naturaliter, vti patebit infrà ſuo loco latiùs. Iam ad mundi fabricam & artificium veniamus.

De magiſterio naturæ, ſuis inſtrumentis & materia.

CAPVT QVINTVM.

Expoſitio phyſica.

Non aliàs quàm hîc apud nos ars nulla ſuo carere poteſt artifice, materia, nec inſtrumentis: naturale magiſterium neceſſario

riò ſuis indiget. Ab artifice priùs exordiamur, qui motus eſt. Nam prout lignum & ipſa dolabra nihil efficiunt, niſi faber illa mouerit ad actum: cœlum & elementa nihil generare poterunt abſque ſui fabri motu, qui mundi quidem eſt anima: quæque medium eſt inter inſtrumentum & materiam, ſicuti ſuprà diximus. At qua ratione vinculum ſit extremorũ iam videamus. Motus eſt duplex & vnus, aut vt meliùs intelligatur dupliciter vnus, videlicet elementaris & æthereus. Dicamus igitur cum Hermete. Quod inferiora mouet, idem eſt quod ſuperiora, & è contra, quo miracula perpetrétur vnius rei diuerſa, non ſecus ac phyſico, perfectiùs metaphyſico modo. Neceſſarium eſt enim vt anima ſit vinculum & medium quod partes binas copulet extremitatũ ſuarum. Quo tamen idipſum fiat magiſterio, poſtmodum audietur. Faber iſte primus omnium, fabris apud nos ferrarijs non inconcinnè comparari poteſt, qui ferro primùm, & malleis diuerſis maioribus & minoribus indiget, pariter & incude cum igne. Huius officina fabri focaria, terrę centrũ exiſtit, in quo naturalis ignis inferior ſui motus initiũ habet, vti noſter artificiatus à cote calibeq;, vel cęteris, è quib. excutì poteſt aſsiduis frication ib. vt lignorũ aliquorũ, &c. Verũ æthereus datus eſt

illi ſicuti noſtris habitus magiſterij peringe nium & aſsiduitatem acquiſitus: qui tamen ambo ſubſtantia non, ſed accidente ſolo, partim inter ſe differunt, partim conueniunt, vt motu: quo quidem iterum differunt, vtpote circulari, & recto, vel vt mathematicè loquar perpendiculari. Similiter animaduertendũ prout incus fabris hic in terris inſtrumentũ eſt inferiùs, & mallei ſuperiùs: naturali fabro fixa, nec non ſolidior elementorum ſubſtantia, ſicuti lapides, terra, &c. viçem incudis & matricis refert, & ſtellæ malleorum ſimilitudinem habent. Item inferiorum ſubſtantia volatilis, & ſuperiorum ſemina materiam præbent. Nec follium obliuiſci nos decuit, qui naturales venti ſunt, vti priori parte narrauimus. Adaptat igitur natura materiã ſuã, priuſquam informet animetq;. Concludentes igitur, mundi nexum à duplicibus corpore, anima, ſpirituq; ſuperioribus & inferioribus, accidente ſolùm differentibus, at ſubſtãtia ſimilibus, originẽ habere dicimus. Quæ meliùs vt intelligantur, operæpreçium fuerit hîc naturę magiſterium amplius explicare. Mundum vniuerſum pluribus conſtare partibus generaliſsimis, quàm tribus, quis philoſophorum, niſi temerarius nugator aliquis, audebit affirmare? Sunt enim forma, natura, materiaque prima rerum omnium

prin-

principia. Mundum itaque quicunq; voluerit in ſubſtãtia cognoſcere, tria primùm hæc ſibi notiſsima fore neceſſum eſt, à quorum diffinitionibus erit inchoandum.

De tribus naturæ principijs.

CAPVT SEXTVM.

POrrò materia dicitur elemẽtaris regio tota, quæ licet in quatuor partes, (quas elementa vocamus) diuidatur, ignem, aërẽ, aquam & terram, duo tamen ſunt principalia, ſcilicet ignis & aqua: quia nihil aliud eſſe videtur aër, quàm per calorem virtute Spiritus D. ſuper aquas natantis, excitatum in creatione mundi perſiſtens aqua reſoluta: terra verò per calorem & ſiccitatem aqua dẽ ſata, vel potius exſiccata. Bifariàm aliàs diuiduntur, in manifeſta nempe duo terram & aquam, & in occulta duo, ſcilicet ignem, & aërem. Sub aqua namq; deliteſcit aër donec ignis actionibus manifeſtetur, & hîc ſub terra quouſq; hominis appareat artificio, uel aliàs naturaliter per ſpiracula quædam emergat, ut in monte Ethna cæterisq; patet locis. Conatur ignis ex propria natura dum poteſt aquam in ſe conuertere: quod ut faciliùs perficiat, duo quærit media ſecundum am-

bas vtriuſque qualitates contrarias: priùs vt calore ſuo frigiditatem: illo ſiccitateq́; ſuis humiditatem aqueas abſumat. Videmus nubes ignis calore ſuſpenſas, inter aquam & ignem tenere mediũ, quia ſi calor ignis, qui circa ſuperficiem remiſsior eſt, quàm in ſuæ ſpheræ meditullio, vincatur aquæ frigiditate: medium hoc in alterum extremorum, vt potę vincens conuertitur, & ignis (ſic diſponente natura) ſuo conatu fruſtratus, dum vnum abſumere nititur, eodem generat alterum, quod rurſus in id ex quo generatum eſt redit. Hæc tranſmutationis circulatio, generationis eſt potiſsima cauſa. Non abſimile videmus ignem in corporibus à natura compoſitis exercere. Lignum exemplo ſit admotum igni, quod priuſquàm omne humidum aqueum eius in aërem ſit cõuerſum, non flagrat eius ſulphur: hoc tamen abſumpto, pariter & ignis in aërem, & ita demum in ſeipſum tranſit, ligni partibus ſolidioribꝰ in cinerem vel terram decidẽtibus. Propterea dicẽdum non eſt elementa ligni talis cõ ſumpta fuiſſe, verùm à ſuo ſeparatum compoſito quodlibet ad propriam ſpheram redijſſe. Hac de re facta fuit apud Philoſophos dubioſa quæſtio talis: vtrum plus abſumeret ignis quàm generaret? Sanum videtur dĩ ci quòd ſint æquales operationes ignis ætherei

therei & elementaris. Nam si plus absumeretur igne elementari, quàm generaretur æthereo, posset assignari vacuum in rerum natura: quod absurdum est. Si verò plus generaret ignis ethereus quàm absumeret elemẽtaris, superfluum non posset determinato iam suo loco contineri: sic alterutro modo vel aluum naturæ solui, aut comprimi foret necesse. Breuius tamen respondebitur, nihil ab igne consumi, sed per trãsmutationis modum, quod ab vno recedit, accedit ad aliud elementum. Sic natura sagax indies ex elementis, hoc modo transmutatis & forma, nouas excitare formas sollicitè procurat, vt per generationẽ informetur, quod per corruptionem dispositum est, sitq; operatio naturæ sicut cœlestes motus. Solent plerique nimirum curiosi Physiologi nondum experti rerum, nobis hoc argumentum obruere, quo Chymistarum quintam essentiam oppugnent, verùm non expugnabunt nisi validiùs adferant. Corpora (inquam naturalia) quatuor cõstant elementis, vbi quintũ igitur erit elementum? Respõdemus omnia naturalia corpora cõstare quatuor elemẽtis simul & forma, q̃ etiã aliqd est, & potissima pars cuiusuis cõpositi: nec solũ exhis omnib. quia nõ potest fieri vera cõiũctio, nisi per aliquod vinculũ, aliàs erit cõtactus vel collisio,

Non

Non possunt enim qualitates primæ, propter earum inter se repugnantiam in unum per seipsas conuenire. Quapropter necessariunt fuit illas per elementa duas qualitates habentia componi, quò faciliùs coniungerentur. Hoc natura vinculo cuncta componit corpora, Philosophi solent id nobis ænigmate tradere dicentes: fac pacem, inquiunt, inter inimicos, & totum habebis magisterium. De elementis itaq; concludendo, dicimus illa fore triplicia, nempe simplicia, composita, & decomposita. Simplicia sunt, quæ nec corrumpuntur nec patiuntur inter sese compositionem: non ex his, sed per hęc omnia alia inferiora elementa vires suas exercent, quas etiam ab illis sortiuntur. Composita sunt quę componuntur & corruptionem patiuntur. Decomposita uerò quę iam in compositione per corruptionem conueniunt. Quicunque hæc in illa, impura in pura, composita in simplicia nouerit conuertere, maximus erit admirandorum operũ artifex. Iam quid forma sit uideamus. Est quidem æthereæ regionis in elementarem actus & potentia. Per elementorum in se mutuò transmutationem, aptat naturamateriã, illi formam tanquam in matricem semẽ includens: huius uirtute prægnans, ueluti mater fœtum producit in actum specificum. Id

sibi

sibi uolunt Philosophi dicentes. Forma deducitur de potentia materię. Potes est enim ipsa materia parere, quod à forma generatur in illa. Concludendum est igitur, quòd forma sit agens in materiam patientem eius actionem, inter quas natura se mediam præbet ut artificem. Hæc enim ex uniuersali totius forma, specificas indies formas à Deo tamen primò creatas renouare non cessat, quæ corruptione defecerant, nec magis quã cœlorum motus est inferiùs otiosa. Dicitur ista Cœli cum elementis in generationem omnium quæ sunt excitatio. Qnod artificiũ duplici perficit instrumento, dispositione uidelicet ac in fluxu. Natura materiam corrumpendo disponit ad potentiam formæ receptiuam, & cœlestium influxuum, quæ tandẽ suo determinato tempore prorumpit in actum & formam specificam. Hoc sibi uult dictum illud à Philosophis, nempe. Secundum materiæ dispositionem agit forma. &c.

TERTIA

TERTIA PARS.

De parentibus metaphysicæ prolis.

CAPVT PRIMVM.

Expositio Physica.

PATER eius est Sol, Mater verò Luna. Portauit illud ventus in ventre suo. Nutrix eius terra est. Pater omnis Theolesmi totius mundi est hic. Vis eius integra est, si versa fuerit in terram.)

Postquàm Hermes artem supernaturalē ex diuinis & naturalib. probauit. Fœtus admirabilis generationem à suis parentibus indicat, à patre primùm his verbis. *Pater eius est Sol.* Quid Sol & Luna sint in cœlo non est quod explicemus, cùm pueris etiam notissimum existat. Verùm actiones, atque virtutes eorum pauci reperiuntur qui intelligāt. Quapropter eas hoc loco narrare datur occasio,

cąsio, quarũ cognitione mẽs ad altiora pertienire potest, vtpote metaphysica. Sol itaq; cœlestis est luminare diei magnũ à Deo positum in medium cœlum. Cur autem cœlum occupet medium, intelligendum est hac de causa fieri, nempe vt superiora & necnon inferiora quæuis calefaciat æqualiter & illuminet. Sicuti fons vitæ nostræ (caducæ tamen) est cordis nostri centrum, in quo viget calor naturalis reliqua nostri corporis membra calefaciens & illuminans, id est, viuificans: non aliàs. Sol omnes mundi partes superiores & inferiores calore lumineq; suis viuificat. Hac de causa mundi cor à calore dicitur, & oculus à lumine, quia cuncta perlustrat, etiã abditissima quęuis in terræ centrũ vsq;. In eo cœlicæ virtutes omnes reconditæ sunt, & ipse reliquas omnes stellas infrà supraq; se existẽtes illuminat. In summa corpus est omnium quę in cœlo sunt & in terra nobilissimũ. Iusta ratione primus post Deũ parens est omniũ ab Hermete vocatus, q, in eo semina quorũuis & formæ delitescãt inferiorum. Masculinũ & vniuersale semen, ac naturæ primum & potissimum sulphur existit, generationumque pars omnium, & potissima causa. Quamobrem à sapientissimis viris, vt Paracelso primùm affirmatur Solem & hominem generare hominem.

A So-

A' Sole uita naturalis creaturarum omnium originem ducit, nam ex eius uita, est omnis uita caduca. Si Sol igitur uiuit, necessarium est ut in aliquo uiuat, scilicet in humido suo radicali, uidelicet aëre purissimo, qui temperat calorem eius humiditate sua. Fatuum esset cum plurimis credere, Solem ignem existere tantùm, quia uita consistit in unione spiritus cum corpore per medium animæ, quæ ab hac unione causatur. Aliàs non uiuere concedendum erit contra veritatem, cùm unio naturalis inter duo semper fiat, ex quorum concordia tertium quid resultat unum, id est, unitum. Imò quòd magis est, dicimus unicum elementum fore Solem, in quo cuncta continentur elementa simplicia, sicut in cœlo reliquisque corporibus cælestibus: at in illo perfectiùs propter uitam, quam omnib. infundit. Non sunt igitur ignis & aër solùm in Sole cœloque, sed etiam terræ, nec non aquæ substantia purissima simplicissimaque. Sol igitur pater est, & uirile semen omnium, & Luna mater, ut audietur in sequentibus.

De

De matre metaphysicæ prolis.

CAPVT SECVNDVM.

Expositio physica.

Mater eius Luna.) Iam author innuit Solem esse Lunæ virum, & Lunam eius vxorem, primamque rerum generationem in cœlo primùm concipi, demũ in terris perfici, prout infrà dicetur apertiùs. Non enim Sol immediatè suos influxus vitales imprimit in inferiora, sed per Lunam, quæ decies & ter quotannis à viro suo per coniunctionem concipit, fœtumq; pariens indies demittit in terram, & aquas, vt audietur postea. Et sicuti parit singulis diebus, ita etiã recipit à viro suo virtutes, nõ alias quàm stellæ quæuis, licet in cõgressu fœcũdiùs ob maiorem eius vicinitatem. Nec est quòd vulgus putet istas conceptiones & partus huiusmodi fieri sicut apud nos in terris, at spiritualiter, & per influxus, nullo contactu, sed solis aspectibus. Et quum nobis plena conspicitur, minus virtutũ à Sole recipit, quàm vbi latés omnino fuerit Soli coniuncta, propter maiorem distantiam: at plus in oppositione, quàm inter ambos laterales aspectus, ideo quòd potentiores influxus recti Solis existant, quàm obliqui. Existimandum igi-

tur non eſt, vt communis aliquorum impro pria loquutio defectum pati Lunam, cùm eo tempore maximè virtutibus imbuatur ſo laribus. At quia tunc nobis conſpicua non eſt, ob ſolare iubar omnia vincens & obfuſcás, videtur priuata lumine, cùm tamẽ plus in ſe contineat à Soleque recipiat, quam in oppoſitione plena prorſus apparens. Verũ eſt etiam iſta duo luminaria, ratione matrimonij, quod inuiolatum obſeruant ex ordine diuino, bina fore diſcreta corpora, tamen in vna ſubſtantia, ſicuti vir & fœmina hîc apud nos, duo ſunt in vna carne, quòd pariter vt illa priùs vnum fuerint. Iſta Solis virtutum in Lunam receptio, perfecta generatio non eſt, ſed eius initium tantùm, quia in inferioribus elementis perfici debet, vt audietis in ſequentibus. Eſt igitur Luna medium per quod inferiora ſemina iunguntur ſuperioribus, à quibus impregnantur, & pariunt elementa craſsiora, quæ miſta vel compoſita propriè nominamus. Quanam ratione id fiat narrabitur poſtquam ea quæ de primis & cœlicis parentibus dicta ſunt phyſicè, metaphyſico modo iam explicuerimus.

Expoſi-

Expositio metaphysica.

SOlem per Lunam influere vitam in inferiora si verum est, ambo quibusuis etiam per vitam, id est potentialiter (quæ potentia per metaphysicam in actum deduci potest) inesse necessum est. Nam vita Solis & Lunæ quibusuis in rebus est vnio per Iouem, & sana dici debet, aut aliàs ægra dum per Saturnum Mercurius & Mars coniungũtur, vt in priori Parte dictum est. Quapropter si metaphysicè quoduis ad Mercuriũ, Saturnum & Martem sua compositum reduxeris, ab hisq; Solem & Lunam extraxeris, mediaq; Iouis vtriusque temperie simul vniueris: vnum efficies ex tribus excellentius, quàm antea per naturam compositum fuerat, sub alia forma tamen. Quia destructa forma physica, non est artis iterum eandem restituere, sed longè meliorem, oculis tantùm alteratam & occultò virtutibus repurgatioribus & non impeditis eisdem, quæ priùs à suis actionibus remotiores erãt. Sed cùm ista iam in priori Parte posita sint, obiter pertransibimus.

De metaphysici parentis utriusque fœtu.

CAPVT TERTIVM.

Expositio physica.

SVperiori naturæ magisterio priùs ab Hermete posito, mox eius fœtum adijcit his verbis: *Portauit illud uentus in uentre suo*. Licet in priori Parte locum hunc explicuerimus, vt lectorib. tamẽ à me satisfiat, amplius hîc elucidabitur. Sol & Luna inferiora sese sursum attollunt, inferioris naturæ magisterio, donec ad Solem & Lunam superiora veniant, id est ad superioris Solis virtutes in superiorem Lunam infusas: & quia similia similibus gaudent, inferiores matrices superiora semina recipiunt, quòd vxoris, non mariti sit officium. Iam clariùs patet verum esse quod Hermes antea dixit ab exordio mox, inferiùs & superiùs idem esse. Nam sicuti Sol & Luna sunt in cœlo superiori, sunt & in inferiori similia substantia, non accidẽte, prout suprà diximus, & in frà clariùs indicabitur. Iam ad inferius artificium veniendũ esse video. Sub Marte Vulcanicas artes in cẽtro terræ suas exercente Sol inferior delitescit vniuersalis, qui sui parentis impetu per ventum extra cauernas subterraneas erumpit, vt sequitur. Huiusmodi follibus Vulca-

nus

nus elementorum partes puriores & ſubtiliores in cœlum à ſe pellit, vtpote Solẽ, quẽ diximus inferiorem, ignis & terræ materiã potiſsimam continentem, & Lunam inferiorem etiam, quæ materiam aquæ ſubtiliſſimam ſub aëris forma deliteſcentem habet, quæq; Solis inferioris eſt vehiculum, vt patet his verbis: *Portauit illud uentus, &c.* hoc eſt, ſemen inferius & vniuerſale per aëra delatũ eſt, ad ſe coniungendum ſuperiori ſemini etiam vniuerſali, &c. Certum eſt ex aqua & igne conſtare aërem, ſicuti cœlum: verùm ſub ignis hac appellatione, potiſsima ſubſtantia terræ comprehenditur inferioris, igni pariter aſcendenti quòd admixta ſit: & ſub aëris nuncupatione, purior inferioris aquæ ſubſtantia, ſubtiliorque, vt in ſequentibus liquebit ampliùs. Venter itaque naturæ eſt ex omnium elementorum inferiorum puriorĩ ſubſtantia cõflata matrix, in quam ſe recipit ſemen Solis ſuperioris vniuerſale per Lunæ medium, quæ hac etiam de cauſa propinquior elementis inferioribus facta eſt, &c.

Expoſitio metaphyſica.

AVditum eſt ſuprà Solem & Lunam ineſſe quibuſuis etiam inferioribus per vitam, & ab ipſis extrahi poſſe lo-

uemq;. Nunc eſt quòd ſciatur vlteriùs, etiam in omnibus fore cœlum, id eſt quintam eſſentiam, quæ per ventum, hoc eſt aërem arte chymica factum, portatur, &c. Qua via ventus hic fiat chymicè, prior Pars continet, etiá quum ſic, & quando nominatur aër: item quiná phyſicus vel naturalis ventus in terrę cauernis generetur, &c. Modò reſtat vt ventum huiuſmodi metaphyſicè probemus fieri per experientiam artis chymicæ, prout affirmauimus. Chymiſtę veri, nihil intentatũ relinquẽtes eorum quæ ad naturã pertinent, ſtudio ſuo merè philoſophico, repererunt venti naturalis originem hoc modo. Quum ad fuſionem calcinatorum ſuorum, & reductionem in corpus (vt aiunt) igne continuato nullius reſpirationis, quẽ follibus quantumuis magnis, vel duplicatis excitare non poterant, indigerent: ad globi terræ ſimilitudinem, globum æneum vacuum, aut ſphæram extruxerunt vnico reſpiraculo patentẽ, vix æquè magno ac cicer intrare poſſet, per fiſtulam ſeſquipedales longitudinis prominentem vẽtris eius medio. Quem ad quartam plus minuſue ſuæ capacitatis partem imbuerunt aqua. Demùm ſuper crates ferreas, & ſupra carbones aut prunas collocarunt, fiſtula ad alterum ignem directa flagrãtem, in cuius medio vas fuſorium cum ſua

mate-

materia ſitum erat. Statim atque per calorẽ aqua ſuos in vapores conuerſa vel reſoluta fuit, his tãdem auctis & multiplicatis, aut cũ impetu prorumpere, magnumque flatum excitare coacti ſunt inſtar venti, vel globus huiuſmodi crepuit medius, ſi fortè minus os illis in exitum patuerit. Hac ratione venti naturalis generationem edocti ſunt, aliàs fieri quàm à gentilicijs philoſophis quibuſdam experientia nihil docentibus, at verbis tantùm effutitum eſt. Quia de venti naturalis generatione diximus in priori Parte, hîc obiter eam pertranſibimus, ad noſtri venti chymici declarationem venientes. Non aliàs quàm auditum eſt, ſub noſtro globo terra chymica ſtruimus ignem, quo mercurialis aqua noſtra ſuos in vapores reſoluitur, ad globum cœli noſtri ſcandentes. Verùm, quia generatio noſtri fœtus eſt ſupernaturalis, noſtra matrix, aut ventus nullo modo reſpirare debet, vt infrà latiùs.

De metaphysicæ prolis nutrimento.

CAPVT QVARTVM.

Expositio physica.

PRiori parte Martem ab vberibus Saturni fugere Mercurium diximus, quum infirmitatis & sanitatis arbores describeremus: idem Hermes hoc loco docet, nempe terram inferioris vbera fore naturæ, per quę lac mercuriale fœtus omnis in alimentum, & vitæ suæ sustentationem sugit. Postquàm author elementa tria proposuit, duo priora sub duorum Planetarum nomine, Solis & Lunæ, tertium verò sub vento: quartum iam sub nutricis comparatione, proprioq; scilicet elementari nomine terra subdit. Non sine consideratione prætereundum est, hîc opinionem de primis principijs nostram tacitè contineri, nempe tria tantùm elementa fore, quæ sub sensus nostros corporaliter cadunt, ignem scilicet, aquam & terram, & hęc in quartum reduci, quod magis aliorum esse matrix & massa quędam ex alijs tribus mistis confecta, quàm elementum per se fore videtur. Ex præcędenti sententia patet, *Portauit uentus*, id est aër, *in uentre suo*, Solem & Lunam, ac puriorem terræ substantiam inferioris,

ris,cuius craſsior & impurior pars non aſcendens,nutrix eſt fœtus in aëris ventre concepti.Nam ſub Solis nomine,terrę purior ſubſtantia & ignis, ac ſub Lunæ dictione ſubtilior aquæ ſubſtantia continetur, quæ per ignem in aërem conuerſa, reliqua ſecum in ſublime vehit, &c. Quod etiam priùs diximus,hîc repetendum eſt, nempe ſub appellatione terræ, craſsiorem aquæ ſubſtantiam contineri. Quoniam & aqua nutrix eſt eorũ quæ ab alto rurſus in eam (eleuata priùs tamen)decidunt. Ignis igitur ſubſtantia craſsior in terræ centro, totum artificium eleuationis inferius , vel diſpoſitionis exerçet. Marsque dicitur impetuoſus, & agens inferiùs , quod Solem ſuum in gremio Veneris, vnà cum Luna Mercuriali , Iouęque Saturni per aëra pellit, vt matrix iſta Solis & Lunæ ſuperiorũ ſemina,per Iouem etiam ſuperiorem vnita reçipiat,impregneturq;. Poſtmodum rediens à ſublimis , & huiuſmodi fœtũ parturiens,inferioribus, videlicet aquæ terræque nutriendum committat, &c.quæ clariùs infrà declarantur.

Expoſitio metaphyſica.

Non aliàs quàm omne quod generatur, à terra ſuum alimentum ſumit: fœtus

ficij noſtri ſuum nutrimentum habet à terra noſtra, quæ dupliciter hîc intelligi debet. Pars enim inferior noſtri vaſis, pro terra nõ-nunquam accipitur, & ſuperior pro cœlo. Quandoque Iupiter quod fixus exiſtat, loco terræ ponitur, & aliæ partes quòd in cœlum aſcendant, volatiles fore dicuntur, & poſtquam deſcenderint, à ſua terra nempe Ioue nutriri, &c.

De maximo totius mundi myſterio.

CAPVT QVINTVM.

Expoſitio phyſica.

PAter omnis Theoleſmi totius mundi eſt hic. His quę dicta ſunt maximum arcanum huius mundi continetur, omnibus non, & prophanis minimè propalandum, ſed ſacris initiatis myſterijs tantùm, & his adhuc ſub breuiloquio. Quid enim excellentius, aut homini Philoſopho dignius eſſe poteſt, quã integram naturam ſuperiorem, & inferioré, cum eius operibus omnibus cognoſcere, tam intus, quàm extra ſe? Nonne præſtantiùs eſt omnibus poëmatum fabulis figmentisque, magis ad idololatriam, quàm ad v-

nius

nius veri Dei cultum excogitatis? Et quamuis ab aliquibus allegoricè perperàm, ac si præclara mysteria complecterentur interpretata sint, nihil minùs tamen tot somniatis Deorum suorum Dearumque nominibus, quàm Dei magnalia cecinerunt. Licet Ouidius aliquid subodorasse videatur in sua Metamorphosi, multa nihilominùs immiscuit friuola quædam, ad artem hanc nihil prorsus conferentia. Quid Ethnicorum scripta prosunt, aut ædificant in salutem? certè nihil: pluris tamen fiunt in Scholis, quàm piorum scripta virorum Deum vnum profitentium in omnibus. Non præstaret quæso, iuuentutem addiscere quæ Dei sunt opera, quàm hominum? Physica sanè si ritè doceatur, in cognitionem Dei magnalium nos ducit, & Metaphysices posteà Patrum antiquorum diuinitùs edoctæ, quæ talis est vt Hermes retulit, &c.

Expositio metaphysica.

SI tu frater profundè meditatus fueris ea quæ D.O.M. in creatione mundi fecerit, ac omniũ quæ in eo sunt, tũiq; præsertim intelliges Patrẽ arcanorum omnium id est,

id est excellentissimum Theolesmi sacri mysterium, hoc est artis diuinę potiùs quàm humanæ secretissimum opus Alchymiæ, cuius pater, id est supremum arcanum, est hîc in sermone meo veridico, &c.

De seminum cœlestium sationibus.

CAPVT SEXTVM.

Expositio physica.

VIs eius integra est, si uersa fuerit in terram.) Postquam elementorum inferiorum subtiliores partes grauidæ fuerint virtutib. cœlicis, demittuntur in terram, vel in aquas: non priùs eorum vires integræ sunt, id est, suum consequuntur effectum generationis. Participium hoc, *uersa*, notandum venit, pro suo composito reuersa vel retrouersa debere sumi, si physicè rem ipsam intellexeris, eritq; duplex sensus, vtpote: Pro parte inferiorum seminum reuersa potest intelligi ad locum vnde recesserant, scilicet ab elementis fixis. Et ex altera parte, superiorum videlicet, potest etiam compositè sumi pro conuersa, hoc est, mutata in terram, vel fixata fuerint, &c. suo loco latiùs.

Exposi-

Expoſitio metaphyſica.

NOn priùs cognoſces opus metaphyſicum eſſe completum, quàm vbi materia tota verſa fuerit in terram, id eſt, in puluerem fuerit conuerſa. Longa decoctione liquida, licet etiam non euaporent, ſed retẽta fuerint, inſpiſſantur, & ſucceſſu temporis exſiccantur in puluerem. Vulgo videtur hoc abſurdum, & qui huius rei fecerũt periculũ ſoli credere poſſunt. Verùm longiſsimum & ſummè tedioſum opus exiſtit, in vno plus quàm in alio tamen. Quapropter induſtria ſumma requiritur, in electione magis aptæ materiæ. Quædam remota ſunt, alia remotiora, nonnulla remotiſsima: ſic & propinqua, propinquiora, maximeque propinqua perfectioni, quæ quidem artifici metaphyſico neceſſaria cognitu ſunt omnia priuſquam aggrediatur opus: aliàs deplorabit errorem ſuum.

QVARTA

QVARTA PARS.

De operationibus, & documento metaphysici magisterij. De mundificatione materiæ, ad opus metaphysicum assumptæ.

CAPVT PRIMVM.

SEparabis terram ab igne, subtile à spisso, suauiter cum ingenio magno. Ascendit à terra in cœlum, iterumq; B descendit in terram, & sic recipit vim superiorum & inferiorum.

Iam primùm incipit author practicam artis metaphysicæ docere. Priùs enim theoricè tantùm eam demonstrauit. A' separatione mox rem ipsam aggressus, inquit, *Separabis terram ab igne*, hoc est à viro fœminam, vt generare valeãt. Oportet siquidem in omni generatione duo fore, quæ conueniant in vnum, quæque vocauit author in prima sui sermonis parte, *superius & inferius*. id est agẽs

&

&patiens. Huiusmodi ſeparatio primũ eſt in hac arte neceſſaria, quę propriè vocatur à philoſophis elemetorũ diuiſio puriorum ab impurioribus. Docet hîc author primam præparationem eſſe mundificationem partium in hac arte conuenientium. Nonnulli putant elementorum quatuor ſeparationem hîc intelligendam eſſe, quod ego nemini refragari cupio, ſi de ſeparatione philoſophica, non vulgari tamen intellexerit. Sub ignis hac appellatione duo alia continentur elementa, ſcilicet aër & aqua. Nullus ſiquidem ignis eſt aëris expers, nec aër aquæ, cùm aër ſit aqua per ignem reſoluta, quo cogitur illa ſurſum aſcendere. Terra verò partim aſcendit, partim inferiùs & fixa remanet, vt infrà declarabitur exactiùs.

De ſecunda purificatione materiæ.

CAPVT SECVNDVM.

NOnnulli putãt hanc particulam *ſubtile à ſtiſſo*, referri ad priorem, nempe, *Separabis terram ab igne*: verùm ego ſum iſtius opinionis cum authore, ſecundam & particularem eſſe purificationem philoſophicam: qui credere volet poterit, qui noluerit, minimè cogitur. *Subtile* quidem à Philoſo-

losophis, dicitur omne quod æthereum est, aut per ætherei virtutes in subtilitatem redactum. Nam vti suprà dictum est, æthereum & elementa substantia quidem vnum fore, sic etiam remotis accidentibus, quibus tantàm differunt, in vnum facilè redibunt. Est igitur authoris sententia per separationem subtilis à spisso, subtiliari spissum, & in ætherei subtilitatem elementare posse redigi metaphysicè. Hęc separatio, philosophica solutio dicitur, quæ nisi præcedat, compositio nulla fieri poterit etiam philosophica. Quapropter hæc posterior separatio peroptimè consideranda est, ne cum priori confundatur. Ex ordine dictionum in orationibus (licet nulla coniunctio sit intermedia) patet authoris menti meam opinionem esse conformem, cùm priùs dixerit, *Separabis terram ab igne.* Si hanc sententiam per eam quæ sequitur exposuisset, vt nonnulli volunt, dixisse debuerat postea, *Spissum à subtili*, quia terra spissior est igne, quem etiam præcedit in oratione, & non inuertisse præter omnẽ scribendi rationem substantiuorum correspondentiam. Nec dici potest adiectiua fore, quia spissam dixisset. Vnus est hic Philosophorũ occultandi modus in manifestissimis, à quo reliquos addiscas.

De

De instrumento philosophico uel metaphysico.

CAPVT TERTIVM.

POstquam author materiam, & operandi modum in eam indicauit, ordineco uenientissimo post, instrumẽtum addit philosophicum, eiusque temperamentum verbis occultissimis, inquiens: *Suauiter cum ingenio magno.* Qui filij sunt Hermetis, facilè percipiunt, quid per hæc verba velit, & non alij. Chymistarum, vt etiam naturæ propriũ instrumentum est ignis, qui penes artifices multipliciter consideratur. Est enim ignis externus, aut internus: Externus aut violentus aut per tres gradus temperatus, vel naturali similis, & remississimus, qualem sibi natura in generatione rerum vsurpat: Internus cuilibet substantiæ proprius est, & naturaliter insitus, cuius etiam Chymista rationem habeat oportet. Vtuntur igne violento Chymistæ, vel inter calcinandum, ficciora sublimandum, aut metalla sua liquefaciendum: igne temperato per tres gradus inter destillandum ascensoriè, descensorieq;: naturali simili dum putrefaciunt, digerunt, congelant, vel circulatoriè soluunt, atque fixant. Patris Hermetis documentum est, vt filij sui postremò, quo naturam in suis operationi-

bus imitari valeant, vtantur, vti per aduerbium ſuauiter apparet. Altera pars: *Cum ingenio magno*, dẽnotat hunc ignem ingenioſè, ſummaque diligentia conſtruendum eſſe, iuxta naturalem calorem, &c. Varia eſt ignis huiuſmodi ſtruẽdi ratio, cuilibet pro ſui ingenij capacitate relinquenda; modò ſuauis & continuus exiſtat, non interruptus. Aliqui ſolent induſtrioſis fornacibus caloris huiuſmodi continuationem ſibi comparare: nonnulli alij varia materia ſuum ignem exſtruere, quorum omnium author hoc loco non meminit, quod breuitatem in ſua tabula ſeruare coactus fuerit. Apud ſcriptores alios quæ poſita ſunt, recenſere, ſuperfluum eſſe duximus.

De priore parte Circulationis, id eſt, Solutione philoſophica.

CAPVT QVARTVM.

DOcet poſtmodum ſigna tacitè, quæ inter operandum apparent, quum dicit: *Aſcendit à terra in cœlum, &c.* Circulatoria deſtillatio pulcherrimè declaratur hoc loco, nec non vas ad naturalium vaſorum ſimilitudinem eſſe conſtruendum. Videmus enim totum cœlum & elementa ſimilitudinẽ habe-

habere cuiuſdam ſpherici vaſis, in cuius centro, naturalis ignis viget inferior, ſubtiliorē elementorum inferiorum materiam in cœlum agens, &c. Non aliàs vult Hermes nos habere vas idoneum, ad illius imitationem. At quia foret impoſsibile nobis in aliquo vaſe clauſo, veluti natura ſuſpenſum in medio, nec non accenſum ignem rationibus variijs includere; maximè quia noſter ignis fomentatus eſt, hoc eſt indiget materia, quæ propter grauedinem centrum vniuerſi petit, vnde fieret vt in fundum laberetur, nec remaneret in centro: Minimè poteſt etiam ignis huiuſmodi præter liberum aërem vires ſuas exercere, quapropter occluſo vaſe ſtatim extingueretur: neceſſarium fuit ignem extra vas noſtrum foré ſub eius fundi rotundi centro. Totum ignis magiſterium in eo conſiſtit, vt continuus exiſtat, ac in eodem ſtatu, leuis & vaporoſus, veluti continuatur ignis in terræ centro naturalis, qui magiſterium eleuationis, id eſt aſcenſus à terra in cœlum exercet: hoc indicat prioribus verbis inquiens: *Cum ingenio magno*, hoc eſt igne perſimili naturali, &c. Quorundam Philoſophorum expertiſsimorum in hac arte, iam occurrit opinio reprobantium, parte igne ſubterraneo, ſed affirmantium cœleſti ſolùm omnia

penetrãte metallorum generationem fieri: non vident interim quinam Hermeti contradicant,& ſibi, qui nullo modo poſſunt alio ſuum exercere magiſterium, quàm per ignem extrinſecum & ſubtus agentem, naturalis ignis ad ſimilitudinem in vniuerſi centro ſuum centrum habentis,à quo ſurſum aſſurgit,&c.Nam & ſi vehementiſsimus ibidẽ exiſtat,ob maximum tamen interuallum,& intermediam terram, & aquam eius caloré arctiſsimum impedientem & compeſcentem,in cauernis metallicis, quæ vt plurimũ ad 600. aut 700, plus minusvè cubitos ſub terræ ſuperficie non latent, eſt ita remiſſus, vt vapores metallicos tãtùm eleuet ad ſummitatem clauſarum naturaliter cauernarum Hermetico vaſi perſimiliũ. Verum eſt quod ab igne cœleſti lapideas cauernas, & omnia penetrante, vires atque ſuas virtutes acquirant, quæ generationis eorũ eſt pars altera. Huicigni comparandus eſt internus, id eſt, Hermetis materiæ naturaliter inſitus, cuius fortè quum illa ſcriberent nullam rationem habuerunt: Nonnunquam bonus dormitat Homerus. Porrò ſumus homines,errareque nos omnes contingit à minimo vſque ad maximum. Et quamuis artem ipſam callu erint & adimpleuerint illi boni viri,magis ex dono Dei quàm ex naturæ noticia,vel im-

probo

probo ſuo labore ſunt eam adepti. Contrà plerique reperiuntur, qui rem ipſam experti nondum fuerunt, acutiùs tamen expertis contati ſunt. Patris Hermetis opinio eſt, vt igne ſubtus metaphyſici magiſterij vas extrinſecùs agente, materia vaſe contenta ſurſum ad ſummitatem eius inſtar naturæ cogatur aſcendere. Quod his verbis innuit: *Aſcendit à terra in cœlum:* hoc eſt ab inferiori parte vaſis, quæ nonnunquam terra vocatur à Philoſophis, ad ſuperiorem quæ cœlum, ab illis etiam dicitur. Poteſt etiam aliàs intelligi, ſic videlicet: Solis & Lunæ fœtus aſcendit, id eſt conuertitur, aut reſoluitur eius terrea ſubſtãtia, vel ſpiſſum eius in cœlum, hoc eſt in ſubtiliſſimam ſubſtantiam, cœleſti ſimilem, &c.

De Circulationis metaphyſicæ parte poſteriore, ſcilicet Fixatione philoſophica.

CAPVT QVINTVM.

STatim atque Solutionem philoſophicam author ſuis filijs indicauit, Fixationem ſubdit his verbis: *Iterumq; deſcendit in terram:* id eſt Poſtquam aliquandiu ſub cœleſtium virtutum internarum obedientia, reſoluta materia Philoſophorum, aſcenſus de-

ſcenſuſq; ſteterit artificio, ſuo tempore determinato maturitatis, ad ſuam terram redit, id eſt, Spiritus iſte fit iterum corporeus, qui priùs è corpore factus fuit Spiritus. Ænigmaticis verbis Philoſophi hoc ipſum inuoluerunt, dicentes. Fac fixum volatile, rurſusque volatile fixum, & totum habebis magiſteriũ. Sunt nihilominus alię ſolutiones & congelationes in hoc magiſterio neceſſarię, quæ prępparationes potiùs appellandę ſunt. Fatuũ ſanè credere foret, materiam hãc philoſophicam non prępparandam & ſubtiliandã eſſe priùs. Hoc ipſum docent quotquot ſunt Philoſophi naturales in hac arte ſublimati, ſcilicet præparationes eſſe neceſſarias, quas operationes vocarunt mũdificationes & ſubtiliationes, ſolutiones & congelationes. Corpus enim in Spiritum reſolui neceſſum eſt, & Spiritum in corpus, ſi naturam imitari voluerit artifex. Videmus fieri naturaliter, vt in nubem aqua reſoluatur, & eadem nubes iterum in aquam, vt fiat quod ſequitur.

De ratione cur huiusmodi conuersiones uel transmutationes fiant.

CAPVT SEXTVM.

CONcludit author quartam sui sermonis partem, his verbis: *Et sic recipit uim superiorum & inferiorum.* Docet hoc loco latiùs quod antea dixit: *Quod est inferiùs, est sicut id quod est superiùs, & è contra.* Nam per singularē numerum vim, indicat eandem esse potentiam naturę superioris, quæ inferioris est, & non diuersam: aliàs vires dixisset, aut singularem numerum geminasset, hoc modo, recipit vim inferiorum & vim superiorum. Hoc minimè suos docere voluit Hermes, imò potiùs idipsum confirmare, quod superiùs allegatis addidit, videlicet: *Ad perpetranda miracula*, id est potentiam, *rei unius*. Quoniā in vnione superiorum cum inferioribus maxima vis inest, ac ad miraculum vsque potentia. Quòd superiùs ea quæ hoc loco requiruntur, latè satis dicta sint, repetitionibus papyrum implere nolumus.

QVINTA PARS.

De utilitate metaphysici magisterij.

CAPVT PRIMVM.

SIC habebis gloriam totius mundi. Ideo fugiet à te omnis obscuritas.

Hic docet filios suos Pater Hermes vtilitatem artis, & ad vsum applicationem duobus modis. Priore suæ medicinæ tacitè satis in metallis vtilitatem indicat. Nam totius mundi gloria consistere videtur in opibus. Non enim spernunt Philosophi diuitias omnino, sed abusum earum. Imò fœlicem & glorioſum existimant in hoc mundo fore diuitem, qui bona sua pauperibus distribuit: Licet obulus viduę de victu suo diminutus, magis acceptus Deo fuerit, quàm opulentũ ingens pecunia superflua. Nihilominus vt subuentum sit pauperibus D.O.M. hominibus suis diuitias hac arte, donoque suo tribuit, vt non existiment cum nonnullis, qui habent

habent eas ex hæreditate parentum, ſibi ſolis fore poſſidendas. Verùm quòd huius partis hactenus paucam fecerim profeſsionem, alijs amplius hunc locum elucidandum libentiſsimè cedens relinquo, poſterioremq; partem quę Medicinam animi, nec non corporis humani concernit aſſumens, hunc librum in ſtudioſorum vtilitatem, & vniuerſæ reipublicæ conſcribere volui: maximè quòd alios hunc locum integrum reliquiſſe videre, aut obiter, aut ſtudioſè transcurriſſe.

De fructu metaphyſicæ medicinæ, quò ad humana corpora.

CAPVT SECVNDVM.

NOn ſolùm Deus pauperibus auro vel argento ſubuentum eſſe vult, ſed etiã remedijs ad eorum tollendas infirmitates adhibitis, vt Chriſtus ipſe teſtatur in Euangelio, dicẽs: Infirmus fui & non viſitaſti me, &c. Hoc poſteriore quintæ partis vtilitatis modo, ſatis innuit Medicinam ſuam Hermes ad corpus & animam vtilem fore, his verbis: *Ideo fugiet à te omnis obſcuritas*. Non aliàs enim quàm animi corporisque ſcilicet infirmitatem fore ſcitur, duplicem etiam eſſe Medicinam oportet. Hinc fit vt author (à te) lo-

quutus fuerit,& non à metallis. Verùm poſſet naſutulus quiſpiam adducere Sophiſta: non dixit ab alijs, at à te ſolùm,artificem intelligens. Qualiſcunque fuerit hoc aſſerens, Ethnicus erit,non Chriſtianus,quandoquidem alter ego mihi tu,& alter tu tibi niſi fuerimus ego & ille, cui viciſsim & nos illi ſimus ipſe, noſtrûm Chriſto dignus eſſe nemò poterit vnquam. Nunc inquiramus quid per obſcuritatem intelligat Hermes, nihil aliud ſanè quàm tenebras ægritudinum. Omne corpus infirmum tenebroſum eſt,& è contra. Verbi gratia,videmus homines ægros nedum colore, verùm etiam omnibus humoribus, vt ſanguine, lotio,ſudore,cæterisque excrementis omnibus obſcuritatem reddere, contra ſanos ſplendorem, &c. Mens eſt authoris hoc loco,ſi portiunculam huius medicamenti quocunque modo ſumpſeris, decidet à te quæuis infirmitas corporis, quam in priori Parte noſtra quaternario deſcripſimus,à quatuor Planetis imperfectioribus. Cæterùm de mentis obſcuritate loquamur. Variæ profectò mentales infirmitates exiſtunt, vt Veſania, Mania, Furia, Stoliditas,&c. quibus obſcuratur hominum animus. Omnes quotquot eſſe poſſunt infirmitates huiuſmodi metaphyſico medicamine curantur Hermetico. Nec

ſolùm

ſolùm animi ſanitatem reſtituit, verùm etiam ingenium atque mentem hominum acuit, vt omnia ſibi ſint intellectu perceptuque facillima, eosque nihil eorum lateat, quæ ſunt inferiùs ac ſuperiùs. Eſt itaque ratio ſententiæ, quod omnia corpora tam rerum naturalium quàm hominum, ad ſummam ſui ſuamque perfectionem hac arte reduci valeant. Huius etiam in priori noſtri libelli parte mentionem fecimus, quum de tribus Planetis perfectioribus loqueremur, indicantes hoc medicamento, ſanam in corpore ſano mentem acquiri poſſe. Victo per ternarium igitur qnaternario, ſeptenarius in exaltatione ſua iubilabit.

SEXTA

SEXTA PARS.

De uirtute potentiaq; Solis metaphysici.

CAPVT PRIMVM.

HAEC est totius fortitudinis fortitudo fortis, quia vincet omnem rem subtilem, omnemq; solidam penetrabit.

Nihil in rerum natura fortius isto medicamento reperiri potest. Ideo dicit author: *Hæc est fortitudo fortis*, id est vis & efficacia supernaturalis: *totius fortitudinis*, hoc est potentissima, viresque naturales omnes excedens. Ideo verè metaphysicum opus optimo iure nominatur. Nec alia quæuis Metaphysica præteristam reperitur, garriant quicquid velint vulgares Philosophi, qui nihil minus quàm artem intelligétes Metaphysicam, in ea non erubescunt ingentia scribere volumina, suisque nugis anilibus albam contaminare papyrũ. Nam quid est Metaphysica precor, aliud quàm ars opere suo naturá excellens,

lens, & quæ vbi naturalis industria deficit, ibidem incipit. Hoc artificium duplex est, vtpote speculatiuum, & practicum. Vtrumque Pater Hermes intelligit: Verùm ordine prepostero practicum exponere volui priùs, vt ex fructu meliùs adducere possem recentes adhuc studiosos artis, eosque Nectaris allectos dulcedine, laborum studiorumque minimè pœniteret.

De proiectione metaphysicæ medicinæ.

CAPVT SECVNDVM.

RAtionem hîc reddit Hermes eius fortitudinis, quàm suo medicaméto priùs attribuit his verbis: *Quia uincet omnem rem subtilem, omnemq; solidam penetrabit.* Quotquot fuerunt Hermetis interpretes, hunc locum ad metalla solent inflectere, prout nunc audietis: *Quia uincet*, id est coagulabit atq; fixabit: *omnem rem subtilem*, hoc est Mercurium vel argentum vulgi viuum: *omnemq; solidam penetrabit*, id est omne metallum durum perfectum & imperfectum: vti sunt ista sex, Sol, atq; Luna, Saturnus, Iupiter, Mars, & Venus, ad summam perfectionem perducet atq; minoré, id est Metaphisicam & naturalem. Verùm quòd ego tantùm ad Medicinam corporis huma-

humani rem istam exponendam assumpserim, alijs opinionem dictā integram relinquere cupio, munusque meum & officium pro viribus prosequi. Sic pro parte mea rem intelligo: *Quia uincet*, id est purgabit: *omnem rem subtilem*, hoc est Mercurium totum humanumque sanguinem, vel humorem in quo spiritus vitales degunt: *omnemq; solidam penetrabit*, id est carnem & ossa penetrando, suis ab infirmitatibus vindicabit, &c. Nam vti supra gloriam pro metallis exponendā, & obscuritatem pro hominibus fore diximus, sic etiam hoc loco pro corporibus humanis est intelligenda solidorum penetratio, subtiliumque humorum scilicet purgatio. Nam in homine mineralis, animalis & vegetabilis est sita virtus naturaliter, & omnia quæ maior in se mundus continet actu, sunt in minore potentia. Quapropter omnem rem, & non rem absolutè dixit Hermes, &c.

SEPTIMA

SEPTIMA PARS.

De comparatione metaphysici magisterij, ad mundi creationem.

CAPVT PRIMVM.

SIC *mundus creatus est.*

Ænigmaticé docet Hermes hoc loco totum artificium suæ Metaphysices à creatione mũdi percilcendum esse. Non est quod arbitretur quispiam, eum dicere velle, suos filios ex nihilo, sicuti Summus rerum omnium Artifex mundum, Solem suum creare, verùm exiam creatis à Deo, perfectionem ab ipso creatam, & in rebus existentem elicere posse. Quapropter dictio creationis hic pro diuinę mentis ordine, tempore creationis mũdi sumenda est. Eritque sensus & authoris hæc opinio, nempe: Sic in sui creatione mũdus est ordinatus, id est artificium nostrum similem seruat ordinem illi, qui fuit in creatione mundi. Iam videamus qualis iste fuerit. In Genesi legitur: Ab initio creauit Deus cœlum & terram. Sic etiam ait Hermes,

opor-

oportet vos cœlum & terram à Deo creata, materiaque noſtra contenta rurſus producere, hoc eſt ab inferiori ſuperius eius diſcernere. Quod ſuprà dixit ſui ſtatim ſermonis ab initio ſub finem repetit quaſi diceret: Ex his duobus vnum oportet generari, nã per ſe nihil generare poteſt, ſed cum alio ſui ſimili, quod etiam ex ſeipſo fuerit. Hoc idem eſt ac ſi loqueretur: Vnum ex duobus tertiũ generat per ſimilitudinem. Dicit etiam in Geneſi Moſes: Terra erat inanis & vacua, & ſpiritus Domini ferebatur ſuper aquas, & ſeparauit aquas quæ ſub firmamento ſunt ab aquis quæ ſupra firmamentum exiſtunt, &c. Quid multis, totam ſi Geneſin cum inuocatione diuini luminis meditatus fueris, artem hanc inuenies, aliàs non. Hæc eſt Hermetis mens atque ſententia.

OCTAVA

OCTAVA PARS.

De compositionibus elementorum Philosophicis.

CAPVT PRIMVM.

HINC erunt adaptationes mirabiles, quarum modus est hic.

Ista particula præcedenti conformis est, eique respondet ex arte. Videtur enim Hermes idipsum loqui: Si tu pari modo feceris de tua materia, quo de mundo factum est ab initio, hoc est ab eo si puriora separaueris ab impurioribus elementa, nec non à spissis subtilia simpliciaque, mirabiles fient inde adaptationes elementorum & mixtiones. Ita Deus elementa coniunxit ab initio, vt nullum elementum sit, quod in se non contineat aliud elementum. Hinc fit etiam vt per Mosen duorum tantùm elementorum nuda mentio facta sit, aquæ scilicet, ac terræ, quæ dicitur ibidem aliàs arida. Nam sub terra concluditur ignis, & sub aqua continetur

aër. Et hac ratione ſub vno ſolo reliqua tria contenta fuiſſe videntur, quum dicitur: Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas, & congregentur aquæ ſub firmamento & appareat arida: his conſtat aridam priùs ſub aquis fuiſſe terram, & ignem in ea, nec non aërem in aquis, &c. Erit itaque materia qua filios ſuos vti vult in ſuo magiſterio, quædam aqua continens in ſe quatuor elementa (ſi ſaltem imitari mundi creationem debeat iſtud artificium) à qua ſeparanda ſunt; elementa, componendaque rurſus, vt ſuperiùs auditum eſt his verbis: *Hinc erunt adaptationes mirabiles*, id eſt ſupra naturam. Nam quæ fiunt ex natura non æquè mirabilia ſunt, penes eos qui cognouerunt naturam, ac apud vulgares. Illa verò quæ naturam ſuperant verè mirabilia ſunt omnibus, quia ex Deo fore neceſſum eſt. Quamuis & quæ natura facit, etiam quod ex Deo ſint, admiranda nobis, nihilominus indies noſtris oculis apparentia per ordinem exiſtunt, ac omnibus contigentia. Sed ea quæ rarò, nec niſi ſpeciali Dei dono pauciſsimis & electis fiunt, maximè fore mirabilia debent. Mirabiles igitur adaptationes, id eſt, rarò nec niſi pro miraculo contingentes.

De

De modo compositionis elementorum.

CAPVT SECVNDVM.

POst compositionum insinuationem, subiungit author modum quo fieri debeant, inquiens: *Quarum modus est hic*: ac si diceret. En tibi viam straui, qua poteris huiusmodi compositiones elementorum perficere, videlicet ab exemplo mundi creationis, vel ordinis in ea. Rudem & ignarum sanè Philosophum oporteret eum esse, qui mundi creationem intelligeret, has autem adaptationes Philosophicas ignoraret. Quapropter orandus est Deus, vt mundi creationis ordinem reuelare dignetur, quo cognito Metaphysicum artificium latere nullo modo potest.

NONA PARS.

De manifestatione duplici materiæ, tùm ab authoris nomine cognomineq́, tùm ab eius arte, nec non experientia depromenda.

CAPVT PRIMVM.

ITaque vocatus sum Hermes Trismegistus, habens tres partes Philosophiæ totius mundi.

In finem vsque reseruauit Hermes declarationem suæ materiæ, quam duplici via patefacit eis, qui pollent ingenio: siquidem rudibus minimè propalanda, porrò nomine cognomineque suis aiens: *Itaque uocatus sum Hermes Trismegistus*, ac si loqueretur suis filijs. Hac ratione vocatus sum Hermes, quia Sapientiæ Metaphysicæ vobis interpres, & Trismegistus, vel ter maximus, quia hæc Sapientia quam vobis annuncio, sub ternario latet in vnum concluso. Quod meliùs vt intelligatur, excellentiam ternarij duximus in

lucem

lucem esse propalandam. Sacrato ternario totus mundus, ordine, numero & mensura per vnitatem constructus est. Vnitas enim non est numerus, sed concordiæ fœdus. Binarius verò primus numerus discordię fons & origo, per assumptionem materiæ dissectus est ab vnitate, & rursus in vnum coniungi non potest, nisi vinculo plurimùm indissolubili, quod solum vnum est. Frustrà certè laborat qui paria paribus copulare nititur, sed impare solo paria conueniunt in vnum. Numero nanque Deus impare gaudet. Vnarius itaque binarium, hoc est vnum & vnum, per vnitatis simplicitatem, in ternarium vincit, animatque, nexu quidem indissolubili. Nã vnum in aliquas partes diuidi non potest. Non enim vnum atque vnum duobus coniungi possunt, cùm duo, quæ nectere deberent, in vnum atque alterum per se solubilia sint. Reijciatur itaque binarius & ternarius reducibilis erit ad vnitatis simplicitatem, vt ait Io. Tritemius in epistol. ad Germanum Gnaum, & latiùs. Non est humanus mi Germane hic ascensus, neque eorum imitationi consentiens, qui vna duntaxat ala sursum feruntur, sed pauciſsimis familiaris, illis videlicet qui sese in vnitatem, non temerè reduxerunt, & in quorum est mente verus ternarius, id est qui reiecto binario per assumptio-

nem ternarij, ſunt ad vnitatis ſimplicitatem aſſumpti.

De triplicitate materiæ metaphyſicæ.

CAPVT SECVNDVM.

POſteriore parte manifeſtationis materiæ, docet author manifeſtò, quod ſuprà dixi, non ſolùm de metallis intelligendum eſſe quod loquitur, ſed etiam de alijs: id eſt, non tantùm ex metallis ad metalla, Metaphyſicam depromendam eſſe Medicinam, verùm etiam ex eis ac vegetabilib. & animalib. ad animalia, quod innuit his verbis: *Habens tres partes Philoſophiæ totius mundi*, quaſi loqueretur. Hęc ars eiusq; materia cõſiſtit in triplici Philoſophia, hoc eſt in cognitione trium partium totius mundi: quæ mihi ſimul aut ſeparatim Hermeti Triſmegiſto cognitæ fuerunt experientia. Notanda eſt hæc particula: *totius mundi*, quia diſtinctus eſt mundus vniuerſus in duas partes principales, ætheream ſcilicet ac elementarem, quarum vtraque pars tres in ſe partes continet, videlicet corpus, animam, & ſpiritum, ſimul vt in coloribus Philoſophicis, nigro, albo, rubeoq;, vel ſeparatim, vt in mineralibus, animalibus, & vegetabilibus, quorum poſterio

rum

rum hic rationem habere proposui, quòd elementari mundo complectantur, à quo nobis æthereus venandus est. Tribus igitur potissimùm cernitur elementaris mundus cõstare partibus, Mineralibus, Animalibus, & Vegetabilib. Præter hæc nihil in hoc mũdo, quod sub sensum cadat, est quod queamus inuenire. Quapropter à Mineralib. tanquã aliarum partium basi faciens exordium, veniam ad reliqua corpora materialia. Terra quidem basis est & retinaculum omnium tã cœlestium influxuum, quàm solidorum corporum. Circum eius centrum cœlestes motus ferũtur omnes. Ad eius centrum grauia quæque feruntur, nisi soliditatis eius beneficio retinerentur. Et ab eius centro leuia fugiunt omnia. Quod author supra docet, inquiens: *Terra nutrix*, & paulò post: *Ascendit à terra in cœlum, iterumq; descendit in terram, sic recipit uim superiorum & inferiorum*. Ibidem videmus ipsum inferiorum vires terrę potissimũ adscripsisse. Mirabilium enim est productrix ex cœli semine, sororisque suæ menstruo. Quod idem Hermes inquit antea: *Rei pater unius est Sol, Luna uerò mater. Portauit uentus hanc rem in utero suo*, (& rursus quod priùs) *Nutrix eius terra est, &c.* Sunt itaque Mineralia, quæ in visceribus terræ mixtione huius & aquæ, secundum earum diuersam

proportionem,in diuerſas formas ac ſpecies concreta reperiunrur.Horum tria ſunt genera,lapidum videlicet, metallorũ, & mediorum mineralium. Et licet hæc omnia generentur, ex mixtione proportionali terræ & aquæ, nihilominùs ex quatuor elementis conſtant,ſicut vegetabilia,& animalia.Nam ſuprà dictum eſt,aquam, aërem, & in ſe terram,ignem, quodque alterum occultum cõtinere.Lapides ex multa terra,& aqua pauca iuxta magis aut minùs à natura cõflati ſunt, ideò non fuſibiles,at igne potiùs friabiles exiſtunt. Quòd nonnulli cæteris lucidiores euadant ac diaphani, fit propter maiorem terræ depurationem,& clarificationem à natura factas.Cùm videamus & arte cineres aridiſſimos in vitrum tranſire diaphanum. Nec poteſt ars curioſiſsima,præter Metaphyſicam Hermetis, minimum opus, quod naturæ fuerit facillimum,imitari.Metalla,quidem è contra conflantur ex aqua multa, in argentum viuum tranſmutata, nec non terra pauca in ſulphur à natura conuerſa, quo fit vt liquabilia ſint, potiùs quàm friabilia. Diuturna decoctione denſatur aqua, modo non exhalet: è diuerſo terra clareſcit. Nam occulta manifeſtis, & hæc illis ſemper & in omnibus contraria ſunt.Principia metallica triplici ſtatu differunt:aut ſunt remotiſsima,

veluti

veluti cum aqua terræ mixtura: vel remota prout vitriolum: aut ſunt immediata, ſicut argentum viuum & ſulphur. Ex his duobus poſterioribus iuxta puritatem amborum, vel impuritatem alterius, aut vtriuſque nobile vel minus, aut prorſus ignobile natura calore ſubterraneo vix annorum millibus generare dicitur metallum. Eò fit ut quantò ſub diuturniori cœleſtium influxuum obedientia mineralia fuerint, tantò firmiori, ualidioriq́ue potentia uirtutes acquiſiiſſe cœleſtes efficaciſsimas, inter ea quæ corporeas uires habent reſtaurare conſeruareq́ue non immeritò putentur: & eò nobiliùs quò metallica forma ſua materia minus fuerit oppreſſa. Metallorum forma generalis, ęqualis eſt omnibus, at propter materiæ uariam diſpoſitionem, in uarias prorumpit formas ſpecificas. Quod ſi uniuerſalis metallica forma iungatur ſuæ matetiæ coęquata proportione partium diſpoſitæ, in ſpeciem omniũ nobiliſsimam, & in aurum prorumpat oportet. Nam locus iam ęquatas partes continet, natura quoq; proportionatum calorem adhibere nouit ut inſtrumentum. Aurum itaq; ſuo calido non eſt frigidius, nec ſuo frigido calidius, pariter humido ſuo nõ ſiccius, nec humidius arido, ſed undique temperatum, unitum, ac tanta perfectione compactum à

natura, quòd nulli penitus igni cedere putetur naturali. Philosophi tamen aiunt artificiali primam in sui materiam igne resolui posse, in quam nisi resoluatur, impossibile fuerit ipsum in stomacho posse digeri, quod igne vehementissimo reliqua metalla vincente, lapidesque consumente non vri dicitur, sed purius ac perfectius reddi, quousq; ad summum suæ perfectionis gradum peruenerit: in igne tunc vt Salamandra iubilare dicitur. Non de monetario, sed per Antimonium ita depurato, quòd nihil alterius in eo mixti metalli relinquatur, ipsos intelligere certum est. Quapropter frustra laborare videtur omnes quotquot aurum potabile facere conantur, nisi priùs aurum in primam sui materiam resoluerint, hoc est in argentum viuum & sulphur, quæ materia, metallorum omnium est prima, proxima & immediata. Hæc sit igitur auri conclusio, quòd à sua perfectione similitudineq; Solis cœlestis, terrestris Solis nomen sortitum sit à Philosophis, qui etiam terrestrem Lunam argentum purum, quod cupellatum vocant aurifabri, nominarunt, colore pondereq; solùm ab auri perfectione diminutam. Calore nanq; deficiente, deficit in ea pororum compactio, restrictioq;, quibus metalla pondus acquirunt vt argentum viuum. Omne decoctum natura-

raliter vel arte primò nigrum, ſecundò quidem album,& tertiò rubeum efficitur, qui poſtremus color eſt exceſsiuus, & à perfectione ſuperabundans. Vt corpus naturale perfectum ſit, requiritur ne in aliquo deficiat, vel perfectionis limites excedat, quæ perfectio medium tenet in omnibus. Mediũ autem inter nigrum & album, eſt pallidum ſed imperfectum, quia extremorum alterum eſt imperfectum, at inter album & rubeum citrinum perfectum eſt. Hinc fit vt aurũ tenens medium inter perfectum & plus, colorem citrinum obtineat non excedentem, neq; diminutum. Nihil aliud eſt citrinus color aut flauus, quàm determinata proportio mediaq; rubei coloris & albi. Hinc fit etiam vt omnes quotquot putant argentum, & reliqua diminuta metalla vulgaria in aurum auro tranſmutari poſſe, detipi contingit, nec non illos quibus libenter audiuntur. Nam aurum non plus coloris habet quàm indiget ad colorandum ſuum argentum viuum. Experientia doctos docuit viros, tincturam ex auro fieri poſſe, quæ valeat argentum purum, vel aliud ritè depuratum aliquod metallum, in colorem auri tingere perfectum: verùm non plus auri factum eſt hac arte, quàm fuit illud auri pondus, ex quo talis tinctura

tracta

tracta fuit. Fatuum ergo videtur consilium eorum qui suadent in aliqua re quærendũ esse, quod in ea non continetur naturaliter, vt superabundantem in auro colorem & põdus superflua, quæ tribuat alijs: quæ etiamsi haberet aliquo modo, non esset aurum, sed coloratius & ponderosius auro quid, & non metallũ perfectũ. Quòd si etiam in auro nõ sit hæc transmutationis perfectio, rationib. iam allegatis: nec in aliquo alio minerali, neque metallo. Nam quicquid in perfecto nõ fuerit perfectionis, in imperfectiore quærẽdum non est. Nec in vegetabilibus erit, minùs etiam in animalibus, quæ natura magis ab auro distant, & in auri generatione minùs conueniunt quàm aurum ipsum: natura quoque sibi simili natura gaudet, ac transmutatur in ipsa faciliùs, quàm in aliena. Sed cùm in transmutatione corporis imperfecti, requiratur summa perfectio, siue Medicina plusquàm perfecta, quæ propinquis etiam elici nõ potest, quã à summæ perfecto quod suæ naturæ sit, nam potiora propinquioraq; semper & in omnibus eligẽda sunt, propter faciliorem transitum: cùm etiam omnis perfectio corporum, à temperamento suarum in compositione partium dependeat: temperatius auro nihil erit, aut ad rem istã propinquius. Quapropter ab eo vel à nullo petenda

tenda venit hæc transmutationis perfectio. Porrò veri Philosophi nullius auri fossilis, aut vulgaris auidi, vel sitibundi, transmutationes non vulgarium, fossiliumvè metallorum, sed suorum & Philosophicorum describere videntur. Hi suo sœculo consulentes & posteritati, summis laboribus conati sunt, ex consideratione temperamenti fossilis auri, temperamentum auri factitij reperire: quod non solùm ex vno corpore, sed ex diuersis, tam vegetabilibus, quàm animalibus, & mineralibus extraxerunt. Est itaque Philosophorum aurum, quędam arte compilata Medicina temperata, quæ tanquam forma separata à suo corpore, tantam ad subtilitatem redacta est, vt in sibi quoduis obiectũ, instar formæ cœlestis in præparatam à natura sibi materiam operatur. Forma quidem vniuersalis, quæ semel specificam induit, quum ab indiuiduo separatur, vim retinet actiuam, quam rursus in alienum corpus imprimere potest vnitatis virtute, cuius vires iã induit, & tunc secum omnia vnum facit: licet etiam hæc Medicina tracta sit ab indiuiduo non tẽperato. Nam arte quæuis & quorumuis elementa possunt ad temperamentum in vnũ reduci temperatum. Nunc de reliquis inferioribus metallis dicendum est, vtpote Stanno, quod Ioui calido & humido: Cupro,

quod

quod Veneri frigidæ, licet etiam calidæ humidæque: Plumbo, quod Saturno frigido & ficco: Ferro, quod Marti calido & ficco, propter dictarum qualitatum similitudinem, Philosophi dedicarunt. Quæ pariter quatuor complexionibus, & non humoribus, (vt vocant alij) corporis Medicorum non physici, sed elementati non inconcinnè quadrare videntur, ob dictas qualitates. Quoties igitur Colericus, Melãcolicus, Phlegmaticus vel Sanguineus ad sui temperiem per Medicinam temperatissimam reduci potuit, existimatum est à Philosophis ferrum, plumbũ, cuprum, aut stannum in aurum transmutatum fuisse. Sub metallis itaque vulgaribus occultarunt sapientes Medicinas physicas, & philosophicas, quas etiam ex metallis eisdem præpararunt in suorum transmutationem, hoc est philosophicorum, vt sub æquiuocatione tantus Medicinæ thesaurus ignarum lateret vulgus. Interim tamen vix docti Medici qui Medicinæ professionem faciebant non exiguam, id potuerũt intelligere, donec Aureolus Theophrastus Paracelsus, Doctor vtriusque Medicinæ, vir Heluetius & nobilis, diuino magis ingenio quàm humano, tum longinquis peregrinationibus, doctorum etiam vbiq; locorum consortio, demum experiẽtia rem omnem detexisset, eamq;

eamq; libris innumeris in gratiam doctorũ virorum, & communem vtilitatem R.P.pro palaſſet:germanicè potiſsimum,vt& illis co piam faceret qui latini ſermonis expertes e-rant. Non quòd ipſe latinæ linguæ foret i-gnarus,vt eius inimici Doctores qui meritò nolunt à ſuis erroribus manifeſtis ab eo co:-ripi malitiosè præter omnem veritatem cõ-mentati ſunt.Non ſolent enim Academiæ le ctores ordinarios in facultatibus admittere, qui vulgariter & publicè profiteantur: quod ridiculum foret,ineptumque magis,ac libe-ralibus indignum artibus. Certum eſt Para-celſum in Vniuerſitate Baſilienſi Medicinæ Profeſſorem ordinarium aliquot annis fuiſ-ſe, quod palàm eſt omnibus qui norunt eũ. Contra liuidos iſtos calumniatores, eius e-tiam opera latinè per ipſum edita, Baſileęq; prælecta,veluti Liber de Tartaro,nec non a-lij plurimi teſtantur, & epiſtolæ quas ad viros doctiſsimos, vt Nicolaum Clauſe-rum, Tigurinam Scholam, & alios latinè ſcripſit, & quas ad ipſum etiam latinè de-dit Eraſmus, & plerique alij docti viri. Quid multis ? qui reſpondere non poſ-ſunt, erroresque ſuos excuſare, calum-niarum clypeo tueri ſe contra veritatem ſemper conati ſunt. Bonus uir Paracel-ſus, quòd uera profiteretur, mendolorum

hominum

hominum insultus non metuens, trecenos sexagenos & vnum libros conscripsit in omni scientiarum & facultatum genere, quibus ea quæ vel iniuria temporis, aut doctorum hominum ambitionibus corrupta fuerant, emendaret, occultaque palàm faceret omnibus. Huius ego liberalitatem in posteriori parte sequutus Præceptoris, apertiùs fortasis de secretis & occultioribus naturęque mysterijs, quàm æquum sit tractaui: cuperem enim alios per me tantùm proficere, quantùm ego per ipsum. Nunc restat vt de medijs mineralibus, suis correspondentib. extremis loquar. Reperitur ferrea Marchasita (quam auream officinæ perperam vocãt) stagnea, plumbea (quæ Antimonium vel Stibium dicitur) cupreaque: mihi postmodum quàm antea meliùs notæ sunt quatuor istæ, reliquas vt auream & argenteam hactenus non vidisse memini, vel si viderim, cognouisse. Sunt & magnesia, thucia, auripigmẽtum, arsenicum, salia multa, alumina, sulphura, & reliqua id genus similia, quæ magis ad physicam transmutationem faciunt, quàm ad vulgarem illam metamorphosin Philosophis ignotam. Idcirco media dicuntur mineralia, quòd non omnino metallum, nec lapidem omni ex parte referunt, sed cum his affinitatis plurimùm habent. De altero extre-

morum

morum, nempe lapide tractare ſuperuacaneum foret, cùm de hoc apud Plinium, Albertum Magnum, & reliquos authores Phyſicos abundè ſatis tractatum ſit: Hoc ſolùm decet pro inſtituto me dicere, quid inter merallum medium, & lapidem ſit differentiæ. Hic ſcilicet, nec liqueſcit, nec malleo ductilis exiſtit, primum verò ſub eo tractabile eſt, & igne liquabile. Media tamen liqueſcunt, & non producuntur, ſed diſſiliunt in fragmenta, quo lapidem referunt, liqueſcentia verò metallum. Iam ad vegetabilia veniẽdum eſt. Dicuntur iſta corpora, quæ per fixã radicem à terra nutrimentum ſumunt. Hæc ſunt in genere triplicia, videlicet herbalia, quæ vegetantia ſunt, vltra annum, vel paulò plus in terra non aſſeruata, ſed arefactis foliis & caulibus per ſeminis in terram demiſſi putrefactionem à natura propagantur. Arboralia vegetantia ſunt maxima, quæ per ſolidas radices in truncos vel caudices, & ramos etiam ſolidos aſſurgũt, ac in plurimos annos aſſeruantur. Plãtalia vegetabilia ſunt inter hæc media, herbis maiora, ſed arborib. lõgè minora, formã tamen vtriuſque referẽtia: diutiùs herbis vireſcunt, citiùs quidem arboribus intereunt. Sed quia hæc Philoſophis omnibus quãtumuis mediocribus nota ſunt, obiter prætereunda putaui: hoc ſolo

notato quod prout animantibus alimentū, ſic etiam à ſua corrumpente materia per artē repurgata medicamentum exhibent. Nam impeditur potentia formæ per materiam illius actionem cohibentem. Meliùs erit extra ſtomachum hanc ſeparari, quàm in ęgrotantis ventriculo debili, ſatis ad hanc ſeparationem faciendam. Verùm ſi alimento debeant eſſe, cum corpore ſunt exhibenda, nā partes corporis omnes tam craſsiores quàm ſubtiles ſibi ſimilibus nutriri debent, vtpote ſal ſale, ſulphure ſulphur, & balſamum naturale balſamo. Defectus enim & exceſſus intemperiem cauſantes oportet contrario tēperato ſcilicet ad æqualitatem reduci, non qualitatum primarum ſupplemento vel diminutione. Quod Medico diligentiſsimè conſiderandum eſt, tam in præparandis vegetabilibus medicamentis, quàm ex animā tium partibus tractis, de quibus etiam ſcribē dum aliquid fore putaui. Sunt animātia corpora, quæ per ſe mota naturaliter ore nutrimentum ſumunt. Chymici motum in rebus naturalibus triplicē conſiderant, vtpote corrumpentem, generantem, & animantem. Philoſophi motum aut per ſe, vel per accidens fieri dicunt. Qui per ſe ſit, eſt nāturalis, cauſans vt primi mobilis & Zodiaci, vel cau ſatus, vt rerum ad corruptionem, & generationem.

tionem. Qui per accidens siue localiter fit motus, est curuilineus, vel rectilineus. Rectilineus est perpendicularis, obliquus, vel trāsuersus. Perpendicularis, sursum vel deorsum latus. Curuilineus, circularis vel flexus. Circularis volués aut rotatus. Non est inanis in hac arte motuum cognitio, sed quia pertinēt ad Philosophū & Geōmetram, qualem oportet Chymistam fore, de his dictum sit hactenus. Cum vegetabilibus hoc habent animalia commune, quod alimentum in vegetationem vtraque sumant, hęc ore, radice quidem illà, quæ sensibus inferiora sunt animātibus. Tria sunt vt aliorum etiam animaliū genera, scilicet reptilium in terris, natatiliū in aquis, & volatilium in aëre. Brutorum animalium duplex est animæ suæ motus, vegetatiuus & sensitiuus. Hominis tamen animæ triplex, nam ad præcedentes duos accedit motus animæ rationalis, qui perpetuus est.

DECIMA PARS.

De concluſione metaphyſici magiſterij.

CAPVT PRIMVM.

Completum eſt quod dixi de operatione Solis.

Ab experientia per ipſum facta concludit Hermes, id quod filios ſuos priùs docuit, inquiens: *Completum eſt, &c.* tanquam diceret. Ego ſum expertus id quod loquor, & compleui, quod vobis annuncio, nempe Solis operationem, id eſt Metaphyſicæ Medicinæ verum eſſe magiſterium, ſine mendacio certum & veriſsimum: vt reſpondeant vltima primis. Non ſine cauſa Medicinam hanc Solem artificialem vocat, nam ſicut Sol naturalis quibuſuis rebus vitam naturalem influit, ita Sol Metaphyſicus deficientem eandem refocillat, morbos pellendo quoſuis eam impedientes. Et hæc eſt illa vera Medicina Patrum antiquorum vniuerſalis, cuius tam ſæpe memini, quibuſuis quæ medetur morbis indifferenter, vi-

tales

tales auget ſpiritus, & à corruptione vindicat omne corpus, atque præſeruat, &c.

Concluſio ſequitur interpretis.

QVotquot ſunt artis huius ignari, licet ex Academijs doctiſsimi ſolent eam improbare: quid mirum? cùm tale quid nunquam in Scholis audiuerint, vel experti ſint. Ex eo non ſequitur artem fore damnandã, quòd ignorent eam docti viri. Multa quidẽ noſtro ſæculo prodierunt in lucem, quæ priſcis ignota fuêre plurimis, non ſecus ac plurima iam deliteſcunt nobis, quæ Patribus antiquis erant familiariſsima. Quid non tẽporis iniuria, nec non hominum ignauia trã ſit in obliuionem, aut potiùs eorum ambitione, qui ſibi ſolis benè cupientes, reliquis omnibus inuident, etiam ea quæ ab alijs ſuffurati ſunt arcana, ſupprimitur? Propterea nõ deperit ipſa res, at poſtquam aliquandiu ſepulta iacuerit illis eo tempore, hoc eiſdem ſæculo vel alijs emerget nutu Dei, cuius in pectore quieſcunt ab æterno cum eius ſapientia cunctæ laudabiles artes ac bonæ. Diſtribuit Altiſsimus & Omnipotens dona ſua quibus vult, & aufert ab ingratis, qui abutuntur eis. Dubium non eſt, quin Deus antiquis Patribus Medicinam aliquam reuelauerit, per Spiritum ſanctum ſuum, qua tue

rentur carnis corruptionem, & potiſsimùm ijs cum quibus loquutus eſt, & fœdus iniuit. Sed poſtquam hominum ſapiendi per ſe vanus appetitus induxit eos, ad quærendum à ſeipſis, & in alijs quàm in eo, in quo ſalus eſt & redemptio, cæcutiuit mens eorum, & in labyrinthum ducta nunc hãc, iam aliam herbam, cras iſtam & aliam radicem, poſtridie mixtum quid, & ſic indies experientes abſque iudicio nunquam ſcopum attigerunt, nec ſuæ doctrinæ certitudinem habent. Et quod magis abſurdum eſt, homines ſua ſorte nunquam ſunt contenti. Dedit Omnipotens Dominus vnicuique nationi, quod voluit eam poſsidere, tam in alimentum, quã in medicamentum. Quid inde noſtra nos contemnere docet inimicus, alienaque ſemper appetere. Habemus apud nos, & fortiùs in nobis ipſis, non à nobis, quæcunque extra nos quęrimus, vel ab alijs. Videamus qui Gentiles hoc in loco nos arguant Chriſtianos dicentes. Natura naturam ſibi ſimilem appetit, & congaudet ſuæ naturæ, ſiquidem alienæ ſi iungatur, naturæ deſtruitur opus. Mirabile dictum ijs qui non profundè conſiderant quid natura ſit, at illis qui norunt eã nihil veriùs eſſe poteſt. Natura triplex eſt, ſcilicet, vniuerſalis, particularis, & mixta. Vniuerſalis conuenit omnibus & per omnia.

Partic

Particularis ſibi ſimili conuenit,&eſt triplex ratione partium ab vno tractarum compoſito. Mixta magis materiæ,ſpirituiq; minùs, quapropter impeditè dici poteſt agere. Tota ferè Medicina ſœculi præſentis, ab hac poſtrema dependet,igitur ſecundum hanc minùs probamus ea, quæ fuerint extra climatis naturam ad Medicinam aſſumpta,quàm illa quæ ſunt eiuſdem. Pari modo minùs cõ uenit particularis natura diuerſi climatis, quàm eiuſdem. Vniuerſalis diuerſi quãdoq; magis aliquando minùs operatur, ſecundũ cœli diuerſas influentias: attamen plus conducit quàm particularis, aut mixta natura proprij climatis. Et iuxta rationem hanc,triplex erit Medicina ſcilicet vnarij Metaphyſica:ternarij Phyſica:binarijq; vulgaris,& hæc poſtrema ſimplicis nomen falsò hac tempeſtate ſortita eſt, quod tamen duabus prioribus olim inditum fuit, & magis congruit. Hinc fit vt hi qui Medicinæ mixtę duntaxat operam dederunt, ingenio licet acuto ſint, non poſsint aſſequi noticiam illius Medicinæ tam vniuerſalis, quæ poſsit indifferenter omnibus mederi morbis hac inducti ratione ſcilicet. Nulla Medicina poteſt, inquiunt, aſsignari, quæ non ſit calida, ſicca, humida, vel frigida. Qui poterit igitur calida & ſicca Medicina morbum

calidum & ſiccum pellere? cùm hoc frigido humidoque medicamento fieri debeat, nã contraria contrarijs curanda ſunt. At maior iſtorum neganda eſt, quia in omni compoſito naturali vel indiuiduo reperitur aliud quàm calidum, frigidum, ſiccum, humidum vel elementum. Quod ab omnibus arte noſtra ſeparatur nullam dictarum qualitatum retinet, at eſt æthereum, quid vt cœlum ab inferioribus ſegregatum elementis, quapropter à Philoſophis cœlum nominatur hæc Medicina, quòd non aliàs agit in corpora humana, quàm cœlum in inferiora, tum etiã quòd incorruptibilis naturæ ſit, reſpectu corporis à quo deprompta eſt, ſicuti cœlum reſpectu elementorum. Sunt enim elementa per ſe mortua, quæ niſi viuificentur ab anima vel ſpiritu mundi nihil producunt. Velut ipſa terra, quæ ſub dio non fuerit, quantumuis pinguis exiſtat, nihil producere poteſt, ſed ſub nudam auram poſita, ſuas herbas & animalcula profert. Nihil tamen in globo terræ tam ſolidum, quod impedire poſsit, quin hæc enim penetret in eius centrum vſque: docet nos hoc generatio metallorum in viſceribus terræ hiatum, aut ſpiraculum non habentibus. Videmus ergo differentiã inter generationem vegetabilium, aut animalium, quæ fit niſi per medium aëris liberi, &

ri,& inter metallorum generationem, quæ fieri non poteſt, niſi vaſis vndique clauſis. Nam ſi pateret vaporibus metallicis exitus, nunquam congelarentur in metallum, ſed in auras euaneſcerent. Inde iudicium fecerũt Philoſophi priùs, animã in metallis fore magis penetratiuã, & maximè ſpiritum eorum, quàm in animalibus & vegetabilibus, quoniam vaſa perquàm ſolida penetrauit lapidea, quæ ſpiritus aliorum acutiſsimi penetrare minimè poſſunt. Qui putaret elementa per ſe generare, Philoſophus non cenſeretur magis quàm fatuus, qui vellet aſſerere mulierem, abſque viro naturaliter impregnari poſſe. Quamuis elementum vel ignis ſubterraneus, terram in ſulphur comburat, & aquam in vaporem excitet, nihilominus animari non poſſunt, niſi per ſpiritum & animam penetrãtes de quibus ſuprà dictum eſt. Habet ignis elementaris potentiam actiuam ad corrumpendum, non ad generandum. Rurſus quicunque negauerit ignem elementarem in centro terræ habere primã originem, vnde naturaliter aſſurgit ad concauitatem ſuæ ſpheræ, Philoſophi non eſt appellatione dignus, quia fatetur ignorare, qnòd ignis inferior corruptionis magiſterium Vulcanicum exercet in reliquis inferioribus elementis. Generationis verò be-

neficium cœlo debetur tantùm, non alijs. Per hæc possumus concludere generationé omnem inter cœlum & elementa fieri. Nũc videndum est quisnam sit fœtus huiusmodi partus, finis est certè generationis, vt corruptionis finis est generatio. Sed vt apertiùs loquar. Fœtus omnis est mixtum, ex vtriusq; parentis substantia productum ad sui perfectionem. Omne quidem indiuiduum est mixtum perfectum, quia licet aliquando fuerit aliqua ex parte deforme, non est hoc asscribendum naturæ nec formæ, quas non contingit errare, sed materiæ potiùs indispositæ. Videntur etiam errare plurimùm, qui simplicia fore dicunt indiuidua, prout vegetabilia: nisi fortasis id faciant respectu Medicinarum, ex pluribus indiuiduis compositarum, & ita quodlibet mixtum, vnicũ simplex fore somniant: hinc venit appellatio simpliciſtarum his applicata, qui vegetabilibus dignoscendis operam dant. Nunc ad simplicem Medicinam illam reuertamur.

Quicunque talem fieri posse negat, quæ valeat incorruptibilitate sua, quamuis corruptionem indifferenter corrigere, cœlum inferiora sustentare vel regere pariter inficiatur. Sed ne videamur secreta naturæ lenocinio prostituere velle, pauca de his sapientiæ filijs sufficiant: hi facilè quid per hæc velimus

mus intelligunt. Qui verò noſtram ignorãt artem & rident, fugiant hinc procul, quoniã illis in ruinam eſt poſita, quærentes vt non inueniant, & audientes non intelligant. Nõ eſt proijciendum Roſas & Margaritas ante porcos, ne pedibus eas tãquam betas labijs eorum inſuetas conculcent. Filij Sapientiæ ſpiritu non ore hauriunt alimentum, vt mẽte magis quàm corpore viuant. Interim tamen, vt ſit mens ſana in corpore ſano cupiunt, ſollicitéque curant, donec à naturæ vinculo ſoluta hæc tria quæ dicta ſunt, inferiusque declarabuntur ampliùs, in vnum rurſum vnita viuant in æternum.

Finis prioris Tractatus alterius partis Artificij Chymiſtici.

TRACTA-

TRACTATVS ALTER.

De Vnione Ternarij Metaphysici.

PROLOGVS.

SAT scio plurimos ex his qui nihil, præterquàm ea quæ vel sua sunt, aut saltem sibi cognita, vel in Academijs audita probare solent, dētes in eos acuere, qui secretiora naturæ scrutantur mysteria. Verùm hoc non admiror, cùm tales animaduertam pessimè habere, quòd post eorum longo labore, sumptibusque non exigüis parta studia, quibus iam canos contraxêre capillos, noua sibi quædam, si non inaudita, saltem parum aut nihil intellecta prodeant in lucem suis longe præstantiora, nec non antiquissimis authoritatibus, etiã Scriptura Sacra probata, iudicio sanioribus, & experientia, sic vt nullis argumentis labefactari queant. Senio confectos discere pudet, eos maximè qui docere solent alios, rustico potius quàm philosophico pudore motos.

Nunquid

Nunquid & nos ętatis, laborum & ſumptuum in Academijs iacturam fecimus? nec veremur tamen à minoribus pedem, quem in ſtabiliora figamus, retrahere. Non propterea ſicuti noſtra hi, ſpernimus ea quæ docentur in Vniuerſitatibus, omninoq; reijcimus tãquàm nulla forent. Hoc ſolùm dicimus, experientia nos longè meliora didiciſſe, quàm lectionum frequentationibus. Nec dubito multos etiam futuros, qui dum rem ipſam carpere nõ potuerint, occaſionem vel minimam quærent, aut ſermonis inculti, vel ordinis in tractatione, qua quod lacerare non valent, rodant. Verùm vt pro vtraque reſponſum ſit his, certum eſt eos, qui rebus ipſis intenti ſunt maximè, rerum inutiles circunſtãtias minimè curare, cùm quod uideant adrẽuerè cognoſcendam hominis ætatem longiſsimam deficere, tum etiam in ueritatis profeſsione locum non eſſe pallio, ueraque minùs ſermonis elegantia uel multiloquio colorari ſolere. Ne uidear etiam Phyſicis & Metaphyſicis immiſcere moralia, tanquam illa confunderem, doctis hoc reuelabo ſecretum. Ea quæ videntur moralia, quandoque licet non ſemper Phyſica ſunt Philoſophis, & è contrà, tum occulta legentibus manifeſtiſsima ſibi quæ nihilominus pro occultiſſimis reputantur. Hac arte uelarunt artẽ ijs

qui

qui rident omne quod assequi non valent ingenio. Hinc etiam factum à me puteris, quòd post interpretationem artis Metaphysicæ per Hermetem relictæ, mox inde gradus vt media proponam, quibus vestra studia de gradu in gradum ad altiora promoueantur. Impossibile foret quempiam literatum, vel quantumuis doctum, ad hanc artem naturæ secretissimam peruenire posse, nisi per hos gradus Philosophicos omnes moraliter, vel saltem physicè transitum fecerit: licet vtroque modo fœliciùs. Alios non defuturos puto, qui dum accusare Philosophos tautologiæ vel superfluæ repetitionis audebunt, suam in hac arte prodent ignorãtiam. Cùm huic Philosophiæ proprium sit ea priùs obiter discurrere, quæ postea fusiùs explicantur, & postremò recapitulatione quadam repetere, qua studiosorum animi rei frequentia potiùs confirmentur, quàm cogantur ea multiloquio credere, quæ sibi coactè non sunt obtrusa. Philosophi quidã amore studioso perciti deuenerunt ad artẽ, eodem etiam alios ad eam admonent, nullo modo cogunt. Nec est etiam quod existimetis in hoc tractatu montes aureos, aut tãtopere iactatum lapidem illum Philosophicum latere, qui cuncta (vt asserunt) in aurũ monetarium inferiora quæq; metalla transmutare

mutare queat,ſed Metaphyſicum vobis lapi
dem propono quærendũ, quo corporis hu-
mani Phyſica metalla minùs perfecta (mor-
bos putato) per metaphyſicè tracta Phyſica
perfectiſsima permutari valeãt metalla,quæ
vocantur Eleyſiria Medicinęq; omnium ſim
pliciſsimæ. Qua de re tot locis Philoſophi
hortantur omnes,quotquot ad hęc ſtudia ſe
cõuerterint, ne Philoſophorum ſcriptis per
literam fidem adhibeant, ſed vt allegoricè
potiùs interpretentur ea. Summas in ſanita-
te mentis & corporis diuitias antiqui repo-
ſuerũt. Ex eo patet quod pleriq; horum qui
hanc nobis tradiderunt artem, ſtrictiſsimã
paupertatem libenter obſeruarunt, vt Ray-
mundus Lullius: alij vel mediocriter vixe-
runt,vti Hermes Triſmegiſtus Rex potentiſ
ſimus:vel ſplendidè bonis, quæ non ex hac
arte,ſed,à paterno ſucceſſu habuerunt antea
potiti ſunt, vt Geber Arabum opibus pater-
nis Rex etiam ditiſsimus. Quicquid ſit,hoc
ſcio,dũ adhuc artis diſcipulus minor eſſem,
vnà cum cęteris ditari cupiens hoc magiſte-
rio,poſt multos labores,fœtidos valetudini-
q; noxios halitus hauſtos,ſumptusq; nõ exi
guos,oleũ & operã perdidiſſe me. Nec tamẽ
illud animũ ab iſta Philoſophiæ parte meũ
retrahere potuit,imò potiùs cũ quòd virorũ
tantorũ graues admodũ legerẽ authoritates

tum

tum quod experiendo mirabiles uiderē naturales operationes, perſuaſum eſt aliò mihi nauis huius proram eſſe diuertendam. Et cū animaduertiſſem tincturas metallicas non tranſmutare metalla, ſed tingere tantùm & illuſtrare, de philoſophicis tincturis Philoſophos artem ſcripſiſſe iudicaui, uoluiq; pariter eas experiri tincturas, quæ circa humanum corpus applicari poſſe legeram: præſertim quod aliàs rei Medicæ non hac, ſed alia (quod aiunt) Minerua dediſſem operam. Tandem Aureoli Theophraſti Paracelſi doctrina prouectus, quicquid hac in re deſiderari poteſt, auxilio diuino conſequi poſſe Medicum circa humani corporis curationē ex Alchymia haud amplius dubito. Hæc igitur ſtudioſe lector Moralia quædam, ad Metaphyſicum acquirendum animum accommoda, quæ de meis lucubratiunculis tibi polliceri poſſum accipe, nempe quæ plurimùm acuent ingenium tuum, ad eorum intellectum conſequendum, quæ ſcribuntur à Philoſophis in arte ſua tranſmutatoria. Si quæ plura tamen de hoc ſtudio ſperanda putes, ab eis qui fœliciori ſunt ingenio petere poteris. Interim ea quæ ſtudioſorum in utilitatem libenter adfero, boni conſule, valeque.

De

De septem gradibus Philosophicis.

CAPVT PRIMVM.

IN priori parte septem graduum Philosophicorum fecimus transcurrendo mentionem, vbi arborem infirmitatis vnam describeremus, & sanitatis alteram. Iam ea reasſumenda latiùs existimaui necessarium, quę parciùs antè dicta sunt. Septem ego quos alij decem faciunt gradus posui non immeritò, cùm eos Planetis correspondere meliùs videam, quàm spheris cœlestibus, aut vt nõnulli volunt vnitati secundæ, quam decadẽ aliàs vocant. Io. Tritemius arcanorum naturæ scrutator omnium quos nostra pepererũt sæcula fœliciſsimus, ita loquitur: Studium generat cognitionem. Cognitio autem parit amorem. Amor similitudinem. Similitudo communionem. Communio virtutem. Virtus dignitatem. Dignitas potentiam. Et Potentia facit Miraculum. Ego quidem ab huius doctiſsimi viri sententia non deflecto, licet similitudinis, & communionis loco, frequentiam amore gigni dixerim. Nam quicquid amore vero prosequimur, idipsum cogimur animo frequentare, quamuis corpore plurimùm ab eo distemus: qua quidẽ frequentatione fieri non potest quin limi-

les reddamur illi quo cum noſter aſsiduo verſatur animus. Eſt enim ſententia Philoſophorum Chriſtianorũ, vt quò magis aut frequentiùs de Deo quis cogitet, eò ſimiliorẽ aut proximiorem Deo fieri, quapropter frequentia ſimilitudinis eſt cauſa, communionisque finis, quia propter participationem ſimilitudo concipitur, aut per ſimilitudinẽ fit participatio, vel communio cum eo cui ſimiles facti ſumus. Item ſub virtute concludens ipſam dignitatem, ſolius virtutis mentionem feci, per quam & non aliàs digni reddimur. Non aliàs ego rem intelligo. Studio rerum comparatur notitia. Cognitionem amor ſubſequitur. Deſiderio ſeu delectatione datur aſsiduitas. Frequentia ſimilitudinis communionisque medio, tum experientia, virtus acquiritur. Virtus ad potentiam dignificat. Potentiaq; mirum opus in rerum natura perficitur. Compendioſiùs ita repetam. Studium generat cognitionem. Cognitio parit amorem. Amor frequentiam. Frequentia virtutem. Virtus potentiam. Potentia verò miraculum. His gradibus neceſſariò ſtudioſum oportet ſcandere, ſi rerum abditarum intelligẽtiam adipiſci deſiderat, aliàs in verum Philoſophum nunquam euadet. Eſt itaque graduata moraliſq; Philoſophia vera benè compoſitæ Mentis à corpore voluntaria

luntaria distractio, qua faciliùs circa veritatis cognitionem versari queat Animus. Ad benè vereq; philosophandum requiritur bona corporis dispositio, quæ Mentem nõ impediat: hæc dupliciter acquiri potest, naturascilicet vel arte. Quæ naturalis est, arte iuuari potest, nec non ea quam natura negauit hac in parte, præcipuè rationis vsu, tandem sobrietate victus, & Medicinis Philosophicis, horum vnico vel omnibus simul adhibitis remedijs. Verùm vt meliùs intelligatur, quid hæc sibi velint ab omnibus diffinitionis terminis ad vltimum vsq; veniendum esse duco, Mens ergo dicitur benè composita, quoties Animus cum anima tali vinculo iũctus est, vt corporis appetitus frœnare valeat. Corporis verò bona dispositio, quum suis corruptis appetitibus minùs fuerit obnoxium intelligatur, & optima quum partium eius componentium excellentiorem temperaturam acquisierit: minùs tunc ea quæ sua sunt appetit, Mentique fit obedientiùs. Quicquid corpus appetit corruptum est, verùm nihil appetere per se potest, & nisi per facultates animæ, quæ corporis est motrix: hæc etiam simpliciter mouet absque boni vel mali conceptione. Corpus huiusmodi motum suscipit, ac per sui corruptam naturam in malum

appetit exequi, nisi resistat animus, qui nil nisi bonum suadet. Est igitur anima bonum & malum inter sita, suamque boni habet optionem per bonum, & mali per malũ, permittente bono tamen & non aliàs tale malum fieri, propter assiduam resistentiam, quã facit anima corpore tracta, contra ipsius animi tractum bono moti: quæ propriè pertinacia mali contra spiritum suadentem omne bonũ dici potest. Vt hęc meliùs intelligi queant, sciendum est hominem tribus potissimis constare partibus: Animo scilicet, Anima & Corpore. Dicitur Animus spiraculum vitæ. Anima quidem organũ est Animi, hoc est spiritus: veluti Corpus organum Animæ, quę vita corporis est, & substantia media inter Spiritum & Corpus. Hæc si magis adhęserit animo quàm corpori, Mens exurgit, ac interitus homo: si contrà corpori magis quã spiritui, nulla fit Mens, at externus homo tenebrarum abyssus. Tribus etiam delectatur Animus, Ratione scilicet, Intellectu, Memoriãque. Ratio speculationis imaginem intellectui proponit, hic eam apprehendens arcanis conseruandam exhibet memoriæ. Ratio prima est Mentis æternæ perpetuus & inuiolabilis ordo, cuius homo factus est particeps ex dono Dei: simul & Intellectus, qui rationis est apprehensio, nec non memoriæ,

quæ

quæ quidem amborum conſeruatio dici po teſt. Anima duobus conſtat, motu videlicet ac ſenſu. Motus eius eſt aut naturalis, qui nul lo fit hominis artificio, ſed naturę ſolius impulſu vinculoq́;: vel ſupernaturalis, qui naturæ viribus fit vnà cum induſtria Metaphyſici magiſterij, diuino potiùs auxilio. Senſus eſt viſæ, vel auditæ, guſtatæ, olfactæ vel tactę rei perceptio. Nam corporis membra, per quæ ſenſus ab anima percipiuntur, ſenſuum propriè vocamus organa. Rerum præteritarum notitiam, præſentium repræſentatione, reuocat in memoriam ſenſuum perceptio. Memoriam hanc animantia bruta cum hominibus communem habent, nam illa ſolùm præſentibus oblatis, eadem ſenſu recolunt. Eſt & alia radix memoriæ perquàm excellens, quæ nulla repræſentatione media, ſed ſpiritus nunquam otioſi tantùm agitatione ſedula, dictam colit memoriam, virereq́ue perpetuò facit: hæc memoriæ continuatio rationis cultum ſubſequitur, & eſt homini ſoli contingens. Ergo ſenſus eſt cõmuniter animalis, & ratio particulariter intellectualis, quia non intelligunt bruta, niſi per ſenſum præſentem, vti ſuprà dictum eſt: animalia tamen rationalia per intellectum à ratione motum, & ſenſum, poſteriore ſine, vel medio. Rurſus animus & corpus in ra-

tionalibus oppoſita ſunt contraria, quæ nũquam poſſunt coniungi, niſi per mediam animam, de vtroque participantem inimico. Sed quia alterũ extremorum eſt perfectum & alterum imperfectum, ſi motus fiat à perfecto, per medium tranſit in imperfecti perfectionem, & è contra ſi fiat contrariò. Hac ratione Deus omnia condidit ex tribus, in vnũ vt conueniãt, ipſe nanq; pacis author eſt & vnionis. Duo & vnum ſunt inimici. Reijciatur itaque Binarius, vt in Vnum Ternarius conuenire poſsit, quod in priore Tractatu ſatis abundè ſcriptum eſt, copioſiùs hîc non repetam. Animus omnibus eſt æqualis, Mens verò non omnibus æqua. Pauciſsimi ſunt qui cum Animo coniunctam habent animam: multi qui iuxta magis & minùs de Mente quid participant, & plurimi qui corpus in anima colentes, & hanc in corpore non agnoſcũt Animum, quibus vltimis nulla Mens, at inſania manet. Mens itaque perficitur, quoties Animus & anima conueniẽtia ſimul à corpore ſunt ita recepta, vt ex his tribus unum fiat conſonum & inſeparabile. Sed hæc amicitia nullo modo fieri poteſt, quàm per ſeparationem, ſine qua, non fit cõiunctio Metaphyſica. Solum eſt Vnum, quod ſi ſolum remanet, impoſsibile eſt, cum altero iungi: ſi tamen cum altero coniungendũ

ſit,

ſit, hoc alterũ ex uno hoc ſeparari neceſſum erit, cùm nihil ſit præter id unum. Et quia partes unius, ex uno ſymbolizant, uel ſympathiam habent, in vnum facilè redeunt, ſed eò faciliùs, quò minùs per interualla differũt ab uno. Quapropter Mentis à corpore diſtractio neceſſaria eſt, ut eius & alterius fiat unio. Sed cùm perfectionem unio requirat, ut uera ſit, ab extremo perfecto, ſicut ſæpiùs dixi, per medium tranſitum facit ad imperfectum, illud ut perficiat. Per huiuſmodi Mẽtis à corpore diſtractionem, quam uoluntariam nonnulli mortem uocant, acquirunt Animus & anima, ſimul iuncta potentiam, ac dominium in ſuum corpus, quod ſolus Animus non habebat antea, propter medium renitens, animam ſcilicet, per quam naturalis & ſupernaturalis tranſitus fieri debet. Quia non conueniunt inimici, niſi per ſequeſtrem neutrum ex parte diſcordiæ, ſed participem ex parte reconciliationis utriuſque. Hac poſteriore ſententiæ parte labefit Aſtronomia iudiciaria, licet etiam aſtrorum diſpoſitionem inclinare, ſed non neceſsitare doceat. Nam aſtra Mentibus hominum longè ſunt inferiora, pariter ignobile parum aut nihil penitus in ſe nobilius agere poteſt. Verùm ſi corpora humana ſuam uincant animam, eamque reducant

in corruptibilis corporis ſeruitutem, inficias non iero, quia corpora tunc aſtrorum nobiliora ſunt hominum ſimilibus corporibus, in humana corpora ſuas actiones imprimere poſſe. Breuiter Sapiens dominabitur aſtris: Inſipiens nedum his ſubijcitur, verum etiam inferioribus & ærumnis quibuſcunque. Sapiens eſt qui mentem adeptus, eam excolit: Inſipiens verò qui corpus in anima, vel hanc in corpore diligit, animo neglecto. Quod ex S. Scriptura probatur his verbis: Qui diligit animam ſuam (intellige in corpore) perdet eam, & qui odit eam (vt ſuprà) in vitam æternam cuſtodit eam, &c. Diligere dicitur is animam in corpore, qui ſuos appetitus prauos exequitur: è contra, qui non exequitur actu, ſed vanitatum cogitationib. delectatur, corpus in anima diligere videtur. Odit animam ſuam in corpore qui frœnat corpus ne prauos appetitus exequi valeat: & corpus odit in anima, qui vanis reſiſtit ſpeculationib. Viſum eſt & hoc addere, quod apud probatiſsimos authores, & præcipuè Theologos legitur, animam nonnunquam pro ſpiritu, nec non hunc pro anima ſumptum, indifferenter: per hoc non eſt inferendum, quòd ſpiritus & anima ſint vnũ & idem, ante mentis compoſitionem, ſed poſt, & in eo conueniunt Chriſtiani Philoſophi

ſophi cuM Theologis. Nã ſiue Mentem vocemus animam, ſiue ſpiritum vel animum, appellatione vnius non excludimus alterũ, propter vnionem iam factam. Non enim vnio vera dicitur, niſi fuerit inſeparabilis. Poſſunt vnionis tamen initia iaci, quę nondum conſequuta ſunt effectum, per hoc non ſtat quin Mens adhuc imperfecta magis vel minùs appellentur. Qui perfectam aſſequuntur Mentem ſunt pauciſsimi. Qui inchoatã habent multi. Qui nullam verò plurimi. Nũc ad corporis proprietatem veniẽs, dico prout ſuprà bonam corporis diſpoſitionem ad veram ſpeculationem eſſe neceſſariam, quia corpus ex ſui corrupta natura plurimùm aggrauat animam & impedit, quò minùs ſpiritus actiones percipere valeat. Nonnullis à natura datum eſt, magis idoneos fore cæteris, ad hanc ſeparationem faciendam, vtpote quibus ad naturalem corruptionem, in eorum formatione nulla per accidens, vel pauca ſaltem acceſsit corruptio. Minùs apti ſunt qui præter ortiuam & acceſſoriam, ex propria petulantia, victuſq; ſerie diſſoluta rationem impediunt. Vt ſunt illi qui mundanis agitati curis, ea quæ perpetua ſunt, & extra mundum negligunt, & qui largiùs vtuntur eis, quę natura dedit ad neceſsitatem, quàm par ſit. Quapropter vti per acceſsionem

alicuius aliud impeditur, ita per amotionẽ eiuſdem iuuari poteſt. Fiunt itaque Medicinæ philoſophicæ per Alchymicam, id eſt Metaphyſicam artem, præ cæteris excellentiſsimam, à proprijs ſemotæ corporibus craſsioribus & corruptis, quæ per naturalem vim agendi quam habẽt in proprium corpus, & poſt amotionem ſuæ partis patientis retinent: id idem in alienum corpus obiectum exequi poſſunt, & excellentiùs, quàm à natura datum illis erat in propria ſua corpora perficere, vel agere. Quicquid nunc eſt in rerum natura habens formam & materiam, deſiderat in ſuo genere perfici, quod naturale deſiderium perfectionis omnium eſt potiſsima cauſa. Et cùm natura ſibi ſimili naturæ iungi gaudeat, ac delectetur in ea, vincente Mente per ſibi ſimile medicamentum adiuta, corpus in eandem condeſcendere naturam cogitur, ſicut eo vincente ſibi ſimilibus corroborato corrumpentibus, anima cogebatur priùs. Quod ne cuipiam abſurdum videatur, adijciam. Quoduis nutrimentum in ſanguinem nutriti conuertitur, eiuſdem naturæ vel proprietatis, cuius nutrimentum fuerit. Exemplum natura docet in his, qui ferocium animalium carnibus aluntur aſsiduò, fieri ferociſsimos, & infantes à lacte quod ſugunt contrahere nutricis conditiones.

nes. Nihil etiam in alimentum à natura sumitur, præter id quod subtilius est, crassum & feculentum reijcitur in excrementum, & rursus huius alimenti superflui quoduis excrementum natura per poros in sudorem, vel per vesicam lachrymas, aut aliàs eijcit. Hoc mouit Præceptorem nostrum Paracelsum dicere, quoduis corporis membrum habere stomachum proprium in quo decoquitur alimentum eius, ipsumque sibi fore ventriculum, in quo separatio superflui fit à necessario. Verùm in medicamento Metaphysico nihil crassi relinquitur, nec superflui quid, hinc fit vt incorrupta natura totũ hoc medicamentum assumit, ac sine separatione transmutat in sibi similem naturam, scilicet animalem, &c. Dicitur quidem hîc incorrupta natura balsamum naturale quibusuis corporibus naturaliter insitum, per quod eorum calor & humor etiam naturalia vel radicalia, quantum fieri potest à corruptione præseruantur. Hoc deficiente balsamo, corpus humanum efficitur leprosum, & eo conualescente per augmentum, quod iam corruptum erat propter eiusdem in eo balsami paucitatem in excrementum eijcitur. Differt eo medicamentum Philosophicum à pharmacho, quod hoc vnà cum suo corpore traiectum in stomachum,

non

non aliàs quàm cibus aliquis in triplex alimentum, & in duplex ſeparatur excrementum: illud verò non ſeparatur, ſed mox vel in balſamum, Vulcanum, aut in Mercurium tranſmutatur, ſimul aut ſeparatim. Oportet enim tres corporis Phyſici partes potiſsimas, vtpote ſanguinem, ſal, & ſulphur ſibi ſimilibus nutriri. Hinc fit vt cibi, potusq; quotidiani cum ſuis ſumuntur corporibus, nam quoduis elementum ſuſtentatur elemento, ſed omnia ſimul cõueniunt, & in temperaturam conſeruantur ab æthereo, cui noſtrũ balſamum, & ſocios quãtum poſſumus reddimus cõformes. Eſt enim in humano corpore quædam ſubſtantia conformis æthereæ, quæ reliquas elementares partes in eo præſeruat, ac pro ſuis viribus continuare facit. Spiritus itaq; medicamenti Philoſophici, cum anima ſua iunctus, & à corpore ſuo ſeparatus, mentales partes in ſui ſubſtantiã tranſmutat, corpus quoq; Phyſicum à corruptione præſeruat, corruptũq; corrigit. Corpus noſtrã retinere Medicinam, vt vehiculũ aliquod non inficiamur: at Metaphyſicum, aut ſpirituale penetratiuumque factũ, quod ſpiritus noſter induit, hoc Philoſophi docẽt his verbis: Fixum volatile tandem volatile fixum fiat. Quod ait. Omnem rem ſubtilem vincet, omnemque ſolidam penetrabit, &c.

Phyſicum

Physicum sanè corpus excellentiori corpore curari nõ potest, quàm Metaphysico, nec humana Mens componi meliùs, quàm dispositione Metaphysica, post gratiæ diuinæ donum tamen. Ex his omnibus concludimus mentalem, moralemque, vel speculatiuam Philosophiam in superatione corporis, vnione mentali facta cõsistere. Sed hæc vnio prima nondũ facit Sophum, at mẽtalem Sophię discipulũ tantùm; Mentis cum corpore secunda Sophùm efficit, completã illam & beatam vnionem tertiam cum vnitate prima sperantem & expectantem. Faxit Omnipotens Deus, vt omnes tales efficiamur, & sit in omnibus vnus, cuius auxilio nunc ad huius fœliciſsimæ Philosophiæ primũ gradum veniamus, quem studium esse verum à sinceritoribus Philosophis compertum est.

De primo gradu Philosophico.

CAPVT SECVNDVM.

QVicunque ad vnionem Ternarij sacratam peruenire desiderat, per gradus istos moraliter priùs iter faciat oportet, idemq; fiat ex eo, quod ex alio per ipsum cupit fieri. Fœliciter igitur in primum gradum & alacri pedem animo figas, qui

Philoso-

Philoſophicum Studium eſt,& inquiſitio veri neceſſariiq́ue. Verum eſt eſſe, à quo nihil abeſſe, cuiq́ue nihil adeſſe, multoq́ue minùs obeſſe poteſt. Neceſſarium id omne qiio carere non poſſumus. Veritas itaque ſumma virtus & inexpugnabile caſtrum eſt, paucisſimis inhærentibus amicis, at innumeris obſeſſum inimicis, paulò minùs quàm toti mũdo nũc inuiſum, ſed inſuperabile pignus ijs qui poſsident illud. Hac in arce verus & indubitatus Philoſophorum lapis, atque theſaurus continetur, qui non eroſus à tineis, nec perfoſſus à furibus manet in æternum, cæteris diſſolutis omnibus: multis in ruinã poſitus, alijs ad ſalutem. Hæc eſt res vulgò viliſsima, ſpreta plurimùm & exoſa, non tamen odibilis at amabilis, & pretioſa Philoſophis ſuprà gemmas, & aurum obryzum, omnium amatrix, omnibus fermè inimica, locorum vbique reperibilis, à pauciſsimis tamen, & quaſi nullis inuenta, per vicos acclamans omnibus: Venite ad me omnes qui quæritis, inquit, & ego vos ducam in veram ſemitam. Hæc eſt res illa tantùm à veris prędicata Philoſophis, quę vincit omnia, nec ab illa re uincitur, corpus & cor omne durum & ſolidum penetrans, & molle quoduis cõſolidans, & ad omni duro reſiſtendum confirmans. Nobis omnibus ſe facit obuiam, & non

non uidemus eam: uociferans & alta uocé dicens. Ego ſum uia ueritatis, ttanſite per me, quia non eſt alius ad uitam ttanſitus, & nolumus eam audire. Suauitatis odorem emittit, ſed non percipimus eum. Dapibus ſeſe nobis in delicias offert, & non deguſtamus. Blandè nos ad ſalutem trahit, at eius tractui reſiſtentes ſentire nolumus. Quoniam facti ſumus ut lapides oculos habentes & non videntes, aures habentes, & non audientes, nares non olfacientes habentes, ore linguaque muniti non deguſtantes neque loquentes, manibus & pedibus ſuis nil operantes, nec ambulantes. O miſerum tale genus hominum, quod lapidibus non eſt præſtantius, imò longè inferius, eò quòd hoc, non illi rationem daturi ſunt operationum ſuarum: Transmutemini (inquit) tranſmutemini de lapidibus mortuis in uitios & philoſophicos lapides. Ego ſum uera Medicina corrigens, & mutans id quod non eſt ampliùs, in id quod fuit ante corruptionem ac in melius, & id quod non eſt id quod fore debet. Ecce præ foribus conſcientiæ ueſtræ ſum noctes atque dies pulſans, quouſque non aperitis mihi? tamen expecto mitis, nec à uobis irata recedo, ſed patiens iniurias ſuſtineo ueſtras, cupienſque per Patientiam ad

eam

eam hortando vos ducere. Venite iterum atque sæpius iterum venite, qui Sapientiam quæritis, & emite gratis, non auro, nec argẽto, minùs laboribus studiisuè proprijs, quod vobis offertur vltrò. Sonora vox, suauis & grata Philosophantium auribus. O fons diuitiarum inexhaustibilis, veritatem & Iustitiam sitiẽtibus. O desolatorum imperfectioni solatium. Quid vltra quæritis mortales anxij? cur infinitis animos vestros curis exágitatis miseri? quæ vestra vos occæcat demẽtia quæso? cũ in vobis, nõ ex vobis sit omne, quod extra vos non apud vos quæritis. Proprium hoc solet esse vulgi vitium, vt propria contemnens aliena semper appetat: propriũ hîc pro nobis appropriato sumimus. Ná ex nobis ipsis nihil habemus boni, sed si quid habere boni possumus, ab eo qui solus bonus est, ferimus acceptum: E' contra quod habemus mali, nobis ipsi nos appropriauimus ex alieno malo, per inobedientiã. Proprium ergo nihil est homini ex suo, præterquàm malum quod possidet. Quod ex bono bonum habet, non ex seipso, sed contributè proprium habet ex bono, quum tamen recipit. Lucet in nobis (licet obscurè) vita lux hominum tanquam in tenebris, quæ non ex nobis est, & tamen quærenda est in, & nõ à nobis, sed ab eo cuius est. Hic illam plantauit in

uit in nobis, vt in eius lumine, qui lucem inhabitat inacceſsibilem, videremus lumen, & hoc cæteras eius præcelleremus creaturas, illi ſimiles hac ratione facti, quòd ſcintillam ſui luminis dederit nobis. Eſt igitur veritas non in nobis quęrenda, ſed in imagine Dei, quæ in nobis eſt. Vlteriùs vt diffinitioni veri ſatisfaciamus, diximus eſſe vero nihil adeſſe, nam vni quid adeſt quæſo? quid etiam deeſt? aut quid contrà niti poteſt? cùm nihil verè præter illud vnum exiſtit. Quis etiam ignorat perfectum eſſe nil, præter id vnum quod nec in aliquo diminutum eſt, nec ſuperflui quid admittit? ſed abũdans eſt potentia & virtute, ſic vt ex abundantia deficientibus largè tribuere poſsit, ac ſemper & æqualiter abundare. Quid enim tale poteſt eſſe præter id vnum, quod omni dat eſſe quod eſt, & eſſe non recipit ab alio, ſed ipſum eſſe totum eſt, quod eſſe poteſt, cuique nihil obeſt, quia præter ipſum nihil eſt. Quod nihil eſt, verè non eſt, & è contra quod verè non eſt, nihil eſt. Quicquid extra veritatem eſt, verè non eſt, quia veritas illud vnum eſt omne, verè quod eſt. Falſitas igitur quæ non eſt, niſi quod eſſe vero contrarium eſt, & eſſe non debet, nec niſi per eſſentiæ veræ priuationem eſt, nihil eſt, quia verè non eſt. Vnde concludunt veri Philoſophi peccatum &

tum & mortem nihil esse, quia non procedunt ab esse vero, sed ab essentiæ veræ priuatione. Peccatum igitur est priuatio boni, quę causa Mortis efficiens est: quia Mors est priuatio vitæ, quæ vita boni finis est. Ex bono quidem veritatis stimulus resultat, cui non præualebunt aculei mortis, & contra quem cuiúque quantumque duro, durum est calcitrare. Quicunque veritati pariter quidpiam adijcere vellet, falsum loco veri palliatione quadam substituere cogeretur, ideo quod veritas perfectionis amictu solo circunfulta non veretur. Quòd si noster primus ille parens Adamus, amictum hunc Veritatis & Iusticiæ non exuisset, veritus non fuisset videri nudus, qualis antea non videbatur, nec erat, sed omni decore munitus. Priuatus Adã veritatis amictu perẽni, falsum quæsiuit pallium à frondibus arborum, quo fassus est errorem suum in seipso, & coram Domino dicens, nudus sum Domine. Cuius misertus Deus, quòd veritatem amisisse vereretur & fateretur, pro terrenę fœlicitatis amictu perdito, perennis gloriæ vestem nuptialem gratis illi restituere statuit per proprium filium. Qui veritatis viam se nobis ac vitam esse dixit & ostendit, quum sua morte mortem à nobis perpetuam, qua dignè plecti debebamus omnes abstulit. Videte fratres igitur

quantus

quantus sit veritatis effectus, vt erga suos inimicos, modò recognoscant eam, sit benefica placidaque. Cũ Adamo peccauimus omnes, at pauciſsimi sunt, & ferè nulli, qui cum eo nuditatem suam apertè fateantur: imò potiùs, & contrà, quisque quoque cupit videri nedum, sed esse perfectior, licet omnium ipse sit imperfectiſsimus, & byſſo purpuraq; palliatus maximè nudus. Vitium hoc hæreditauimus à primi parentis appetitu primo, quod præ cæteris maximè iure vel iniuria sapere, posſidere, vel honorari desideremus, quod potiſsimum hoc sæculo hominum est ſtudium exitioſiſsimum. Veritas iterum nulli potentiæ subijcitur, vel mundanæ fortitudini, quapropter ei nihil obest: nam ipsamet est fortitudo verà, potentiam totius mundi superans. Quid si corpus veritatem posſidẽtis, in mille fruſta secetur, nil patitur animus eius, at in eo martyrio gaudet. Hæc est veritatis potentia, quam pauci sunt adepti, sed infrà latiùs audietis eius excellentiam. Nũc dicemus vlteriùs quas proprietates habeat Veritas, Pietatem scilicet cum Iuſticia iunctam inſeparabili nexu. Est enim Pietas gratia diuinitùs data, quæ docet vnumquéq; se verè cognoscere. Iuſticia verò retributio cuiusq; cuiq; quod suũ est, optimè dicitur.

Quicunque virtutes has posſidet omnium eſt ditiſsimus. Sciendum eſt etiam hoc loco Pietatem operari Pacem & Miſericordiam, de quibus ſuo loco dicetur. Reſtat nunc vt Philoſophici ſtudij partem alteram intueamur, quę neceſsitas eſt. Victu quidem & amictu carere non poſſumus, ergo nobis neceſſarij ſunt. In cibo delicijs & potu, veſtium quoq; luxu byſsino, coccineo, purpureoue carere quiuis (etiam qui habet) poteſt, ergo non ſunt hæc neceſſaria, ſed in electione poſita, quę ſi iuxta gratiarum actionẽ fuerint recepta, non eſt eorum vſus ita noxius, vt in ſuperbiam & gulam vſurpata, ſine Dei ſuique recognitione. Pauci ſunt qui neceſſitatẽ obſeruant Philoſophicã, vulgarẽ quis non vel ydiota quiuis inuitè ſuſtinet, eoque ſolo carere cupit, quod aſſequi non poteſt? Iudicat omnia vulgus ſuperficialiter, id eſt, ex apparentia, ſecundum profunditatem ſunt qui iudicant ferè nulli. Hinc fit vt ſit peroſa veritas, quum ſub lacero cortice prodit in lucẽ. Plus poſſunt hac tempeſtate ſplendida veſtis, armillæ, torques, monilia, gemmęue digitorum, quàm ipſa veritas & Sapientia. Quid mirum cùm Sapientia vera mundo ſtultitia facta ſit, hæc verò Sapientia? teſtantur Scripturæ S. Veritas ipſa Chriſtus, ac omnis Sapientia tollitur vt crucifigatur à mũdi ſa-

diſsapientibus, quia ex mundo non eſt, ſed eum ſuperat. Barabas verò latro potiùs eligitur, quia fuit ex mundo vitioſus. Cur miramur itaque ſi mundus verarum artium profeſſores (cùm Veritatem, ipſum Dei filium ſit perſequutus) tanquam venenum abhorret? quod etiam ipſi Gentiles mundi ſequaces apertè fatentur, quum veritatem odium & obſequium amicos parere dicunt: hac ſua doctrina videntur hominibus ambitionem & emẽtita perſuadere velle magis obſequia, quàm veritatis & virtutum profeſsionis miſerum ſtatum deplorare. Hæc dico quia ſi nunc in lucem adferatur hoc ferreo ſæculo quid, ex veris & indubitatis Philoſophiæ veræ fontibus, quod in vtilitatem faciat Rei Publicæ, ſi non ſit Ethnicorum vel Gentilium doctrinæ conſonum, ab his reijcitur, qui ſuccum illius hauſere ſtudij, quod inanis illa Philoſophorum Schola commentata eſt. Dicite quæſo iudicioſi viri, qui poteſt fieri, vt Gentilis carens omnino lumine vero, lumẽ adferat alijs? Humanam habuerunt Ethnici vel Gentiles & mundanam ſapientiam, quę ſtultitia reputatur apud Deum, quia ex Deo non eſt, & tamẽ pater omnis filium torquet, ad eam addiſcendum per mediam ætatem. Poſtmodum ſi talem contingat Philoſophũ ementitum, cum vero ſpeculatiuo conferre

Sopho, mox victus erumpit in conuitia, cõtemnens omne bonum ac verum, quod à ſuo pœdagogo non audiuerit, ac ſi nihil boni veriſque foret, præter id quod à Gentilib. veritatem prorſus ignorantibus proceſsit. Plus equidem poteſt ſpeculatiua Mens adiuta vero lumine veritatis, vnico tantùm anno conſequi vel momento, quàm aſsiduus & improbus labor totius æui hominis, abſque lumine quærentis lumen ab his, qui luce carent omni. Sed videamus quænam ſit Gentilium Philoſophorum doctrina. Summum bonum ponunt benè viuere, quod in honeſtum partiuntur & vtile. Honorum ambitionem & laudes maximè reputant honeſta: denique diuitiarum partum & conſeruationem quocunque iure vel iniuria, bello vel ſudore facta vocant vtilia: ex quibus nihil expectant, poſt mortem aliud quàm poſteritati memoriam ſui, famamque reliquiſſe. Reſurrectionem partim ita negantes, partim ignorantes, poëmatum figmenta milleque nugas, præter veritatem (cuius quidem fuerunt expertes) in hominum & ſuiipſius perpetuum exitium commentati ſunt. Ecce propter quam doctrinam oportet, verarum artium profeſſores his exoſos fore maximè, qui de quibuſuis artibus & facultatib. plus ceportaſſe nomen gerunt. Et ſi veritatem ob

oculos

oculos ponat experiẽtia, nisi per inexpertas eorũ opiniones, qui veritatẽ nunquã sunt experti, comprobatum sit, pro falso verum obijcitur, & maximo clamore fatuus æstimatur, qui veritatem profiteri vult. Si quis etiã vanos authores meritò detestetur, mox eorum discipuli minantur in Vniuersitatibus tales vel afficere supplico, vel dedecore maximo, quod equitationem asini vocant. Interim non vident ipsi, quod sit eorum solatiũ, asinos indies equitare vicatim & honorificè, quibus alios supplicio conantur excipere. Si dixerint asinos minimè fore, sed mulas aut mulos: tantò viliores existunt, quod asinorũ & equorũ sint mõstra. Christus non equum neq; mulam, sed asinum equitare voluit, quem ipsi tantoperè vituperant. Nõ caret suo præsagio sanè horum equitatio monstrorum, quam alijs me doctioribus exponẽdam relinquo. Quid propter minas istorum tandem subticebitur veritas, quia sicuti Gẽtiles docent, odium parit? minimè gentium: imò potiùs obire mortem verũ Philosophũ decet, quàm negare veritatẽ. In omnibus est obseruanda veritas, vt summũ apud Christianos bonũ: beati quibus datũ est cœlitùs in ea perseuerare in finẽ vsq;, quod pauciſsimis (hei miserũ) cõtingit. Rogemus Deũ ut huius solius nos faciat participes. Cõcludendũ

igitur ſolam veritatem expetendam, ſollicitéque fore quærendam ab omnibus, ad cuius faſtigium quiſaliendum ſit vlteriùs audite.

De ſecundo gradu philoſophico.

CAPVT TERTIVM.

EX inquiſitione ſedula veritatis & neceſsitatis in omnibus, vera noticiarerũ omnium reſultat, quæ opinionum eſt de veritate quorumuis conceptarum, per experiẽtiam indubitata certaque reſolutio. Sed opinio, veritatis eſt in animo hærens dubiaque præſumptio. Experientia veritatis eſt manifeſta demonſtratio. Reſolutioquidem eſt dubij depoſitio. Non poſſumus de quouis dubio certiores fieri meliùs, quàm experiundo nec certiùs quàm à nobis ipſis. Quapropter id quod ſuprà de veritate diximus, verificemus oportet, à nobis facientes exordium. Superiùs Pietatem aſſeruimus, in cognitione ſuiipſius conſiſtere. Hinc fit etiam ut ab ipſa cognitionem philoſophicam incipiamus. Nemo uerè poteſt ipſum ſe cognoſcere, niſi perfectè ſciat quid, & non quis ipſe, cuius exiſtat à quo dependet, uel in quem ſit finem factus. His cognitis & non priùs in

cipit

cipit ipsa Pietas, quæ circa duo versatur: vtpote Creatorem & creaturam sui similem. Impossibile est creaturam à seipsa cognoscere se, nisi cognito primùm suo Creatore. Quî potest effectus ante causam verè cognosci? nonne præcedit omne principium sua medium & finem, vel à fine rem aggredietur quispiam? Deus est sine principio, sineq; fine persistens, omni repletus gloria, quam solus ex propria liberalitate possidere noluit, sed eius facere nos participes, quos etiã ad imaginem & similitudinem suam condidit: primùm liberalitatis eius exemplar & mysterium. Quî fit igitur vt admirandum illud Arcanum ignoremus ex veritate? Frater audi, sicut à pretiosissimo de vilissimo creati sumus, ita propter primam nostri materiam, ad vile quoduis proni magis, quàm ad eum qui nos de vili pretiosissimos fecit. Admiremini quotquot mecum estis mortales miseri, quòd Summus rerum Artifex vilissimam de limo terræ materiam tractare manibus voluerit, & ex ea pretiosissimam excitare creaturam. Non abs re factum putemus, sed vt agnoscamus quidnam simus, & ab elationis superbia nos contineamus. Quod secus facientes, nemo nostrûm non pauperem, quẽ Deus elegit, odit, cùm tamen ex eadem massa qua facti sumus omnes & ipse constet.

Hinc fieri uidétur, ut perſonarum non ſit acceptor Deus, at paupertatis & humilitatis amator, ac inimicus elatæ ſuperbiæ. Nemo Creatorem poterit meliùs cognoſcere, quã ex creatura, ſicut ex opere probè noſcitur artifex. Videamus igitur quis de uiliſsimo pretioſiſsimum, alius præter eum qui creauit utrumq; poteſt excitare, nemo certè. Nullo modo pincerna poteſt aquam in uinum trãſmutare: tamen id poteſt qui uinum creauit aquamque. Maius quum terram in animam uiuentem permutauit, fecit: & quod maximum eſt, ſupremo beatitudinis dono, ſcilicet imagine ſimilitudineq; ſuis dotauit eã: per eas datum eſt omnibus ſaluos fieri, qui donum hoc recipiunt; ſed nolentibus accipere gratis, quidnam dabitur? certè nihil: habeant igitur illi quod ſuum eſt, ut ſeruetur Iuſticiæ locus. Proprium cuique ſuum eſt, quod elegit à principio, damnatio ſcilicet. Gratuitum eſt æternæ ſalutis donũ, his qui cum gratiarum actione recipiũt illud. Cùm itaque pretium uile charumque ſimus, uideat quiſque noſtrûm quid potiùs optet: res per ſe clarior eſt quã elucidatione ſit opus. Scimus uile quod ſumus, & præſtantiſsimũ à quo proceſsimus, reſtat in hoc negotio perpendamus quare, uel in quem finem facti fuerimus. Creauit Omnipotens Deus Ada-

mum

mum ad imaginem & similitudinem suam, ut ipsi Deo foret ad gloriam, & immortalis esset, non anxius, nullius indigus, semper in Deo gaudens, terrenis passionibus non subiectus. Verùm quia munus tantùm non agnouit, uilifecit: attamẽ cognouit quòd perfectus esset factus & sapiens, at in ea cognitione minimè permansit. Consideremus ergo quantum agnitio boni, quantumq; mali, muneris huius & uerbi Dei uilipẽdium attulerit, cùm ex immortali petpetuò moribũ dum reddiderit. Nam qui moritur, in æternum & semper in agone mortis degit, & nũquam desinit mori. Hinc fit ut perpetua dicatur illa mors, ueluti uita dicitur æterna, qua Deo uiuemus in æternum, & nunquã sinemus uiuere. Cùm igitur primus parens unà secum nos omnes Deo rebelles reddidisset, ac inimicos, misericordia motus Omnipotens & misericors Deus pacẽ inire nobiscũ induratis uoluit, qui pacis est author. Quis erit lapideus ille, qui cũ diuinæ bonitatis hoc mysteriũ animo reuoluerit, cũ inimico suo, licet ab eo receperit iniuriã, non reconcilietur? Quî tãdẽ fit ut inimicorũ neuter inter mortales offendẽs, uel offẽsam passus, alterũ aggredi uelit reconciliationis ergo? Certè nõ alia de causa quod nemo sciptum, & p consequẽs nec Deũ Creatorẽ suũ, nec pximã

æqui-

equipollentem creaturam cognouit, quo fit vt pacem non amplectatur is, qui eam ignorat. Est enim pax misericordiæ radix, nã qui pacem non habet, misericordiam non exercebit, nec etiam assequetur donec habeat. Non est quod hoc loco pacem & misericordiam confundamus, quia pax est misericordiæ causa, veluti pacis est ipsa pietas. Pacem ergo si cum Deo habuerimus per pietatis cognitionem, pariter eam cum proximo tam inimico nostro, quàm amicõ sumus habituri. Maximẽ quũ considerabimus, quod Summus ille rerũ Artifex vermiculo Diaboli mãcipio, per pacis amplexum suæ misericordiã fecerit. O miseri mortales quotquot misericordiam expectamus à Deo, coram quo miseriam nostram nõ agnoscimus. Vnde quæso misericordiã quàm ex miseriæ confessione per cordis contritionem in emendationem facta? Si demùm nostram fratrumque nostrorum non ignorabimus miseriam, at pari pondere compensabimus, sæculi bonis huius opimiores facti, diuitiarum æternarũ nos abundantiores non existimabimus illis, qui prorsus opibus mundi destituti sunt. Quis mortales inter hoc verè considerat, bonorumque sibi solum in hoc mundo concreditorum communione fratrem non solabitur egenum? da tu considerantem, & ego tibi mox

bi mox oſtendam, qui tale diuinum arcanū agnoſcat. In his omnibus Deus ſuum erga nos amorem ſatis adhuc explicuiſſe noluit. Verùm ſua nos accuſante Iuſticia, cui nihil diminutum eſſe poteſt vnquam, non magis quàm eius miſericordię, nobis potiùs quàm proprio filio parcere voluit, in quo Pax & Iuſticia ſimul oſculatæ ſunt. Quare igitur non oſculamur nos in Chriſto fratres facti pares, cùm nos miſeros vermiculos rerū Summus oſculetur Artifex, & in vnigenito ſuo filio præſtantiſsimas facit creaturas, de viliſsimis proprio malo factis. Quotquot agnoſcunt Deum in filio, pariter & filium in Patre per SpiritūS. cui ſimiliter non reluctantur, fratrē etiā agnoſcunt & non alij. Hæc ſunt vera & indubitata veræ Philoſophiæ fundamenta, ſed quia nondum ab omnibus cognita ſunt, licet audita multis, adhuc in aliquorum non benè reſolutorum animis hærere dubium poſſet, an imaginatio prædictorum veritatis amorem in nobis excitare queat. Operępretium illis fuerit ambiguitatem hanc experimento per ſeipſos & in ſeipſis facto deponere, hunc in modum qui ſequitur. Conſideret vnuſquiſque penes ſeipſum diligēter ea quæ ſuperiùs dicta ſunt, guſtataque ſępiùs & ſæpiſsimè ruminet animo ſincero, ſic paulatim ſcintillas aliquot magis ac magis indies

perlucere ſuis oculis mentalibus percipiet, ac in tantam excreſcere lucem, ut ſucceſsiuo tempore quæuis innoteſcent, quæ ſibi neceſſaria fuerint: nec ampliùs in veritate quouis hærebit modo, ſed Pietatis exercitio, Iuſtitiæque paulatim aſſueſcens, ritu viaque premiſsis, animi tranquilitatem ſentiet, qua tandem allectus intelliget, maiorem in animo delectationem eſſe, quàm in corpore. Non priùs incipit uera cognitio, quàm perennium & labilium, cùm uitæ, tùm interitus oblata comparatione ſelegat anima cum animo iungi, delectatione maiori tracta huius quàm corporis. Ex ea cognitione Mens oritur, & corporis uoluntaria ſeparatio ſumit exordium, quum anima reſpiciens ex una corporis fœditatem & interitũ, ex altera parte præſtantiam, & fœlicitatem animi perpetuam, cum iſto (diuino ſic diſponente flatu) connecti cupit, altero penitus neglecto, ut hoc ſolùm appetat, quod à Deo concluſum eſſe uidet in ſaluté ad eius gloriam: corpus iam in amborum unitorum unionem condeſcendere cogitur. Hæc eſt admirabilis illa Philoſophorum tranſmutatio corporis in ſpiritum, & huius in corpus, de qua ſuprà dictum hoc eſt. Fac fixum uolatile, rurſusque uolatile fixum, hoc eſt fac de pertinaci corpore tractabile, quod poſtmodum animi præſtan-

præstantia cum anima conueniente constá-tissimum fiat, ad omnia sustinendum examina. Probatur enim aurum igne, quo reprobatur omne quod aurum non est. O præstantissimum Philosophorum aurum, quo ditantur Sapientiæ filij, non illo quod cuditur. Adeste qui thesaurum Philosophorum tam uario conatu quæritis, reprobatũ à uobis lapidem cognoscite priùs, quis ille sit, & postmodum quærite. Mirum est super omne miraculum, quod quispiam appetat ignotum sibi. Fatuum certè uidetur id ab hominibus quæri, cuius ueritatem ignorant, quia nihil in eo spei relinquitur. Suadeo quibusuis ergo perquirentibus, ut cognoscant priùs eius quod quærunt ueram existentiam, antequàm quærant, sic eos laboribus frustrari non continget. Sapiens quærit qnod amat, nec amare potest quod non cognoscit, aliàs insipiens foret. Ex cognitione igitur natus est amor omnium ueritatis, quæ sola uiget in omnib. ueris Philosophis.

De tertio gradu.

CAPVT QVARTVM.

OMnis affectio uera necessariò priùs affectatæ rei cognitionẽ requirit. Quia enim

enim de rebus incognitis vel cogitat, vel anxius redditur? nullus vt opinor. Quapropter ad amoris affectũ philosophici, cognitio pariter Philosophica præcedere debet, amorq; subsequi talis, qualis ipsa cognitio fuerit, intẽsus vel remissus. Dicitur itaq; Philosophicus amor, secretorũ ab vno rursus in vnũ per pace vnio. Pax verò per vnionẽ partiũ in toto concordia. Deus vnionẽ apprimè diligit, quia vnus est, & quicquid creauit vnquam sub vnione concluſit. Ab vno determinato per vnum indiffinitum facto, procedunt omnia quæ finita vel determinata sunt, ac rursus ad vnum suum instinctu naturali quæq; tendunt, à quo si quæpiam declinauerint, à Philosophis sub secreto binario continẽri censentur, & per ternarium ad vnitatem reduci debere. Creauit Deus Cœlum & terrã, ac omnia quæ in eis existunt occulto modo simul vnita, manifestò secreta. Sub appellatione terræ concluduntur elementa quidẽ inferiora, quæ continentur à cœlo taliq; fœderis complectuntur amore, qualem inter alias creaturas uix videre licet. Animalia bruta quæquæ bina sese diuino prorsus ordine coniungentia videmus, & sincerioꝝ vinculo, quæ purioribus constant elementis, ut sunt volatilia, reliqua minus conueniunt, pro materiæ de qua sunt conflata puritate minori,

minori, tamen coniunguntur licet promiscuè magis. Ad præstantissimam creaturam veniamus ex vilissimo factam, vtpote hominem quem de limo terræ creauit Deus, animal per se mobile, quod indè mox spiritu rationali viuum fecit: occasione qua mouetur sola, cæteris animantibus irregularius esse quis non percipit? qua viuum est & rationale factum, excellentius inter opera Dei nullum esse potest. Ab hoc scilicet homine, quũ adhuc in excellentissimo statu foret ante lapsum, secreuit Deus fœminam, os ab ossibus eius, & de carne carnem eius, vt cæteris animantibus firmiùs vnirentur. Non dicuntur vniri nisi quæ fuerint ab vno semoti priùs, at coniungi tantùm. Quum igitur in seipso nõ posset, in altero gignere fuit necesse. Hac de causa præ cæteris humana generatio reuerenda est, quia fit inter duo, quę priùs vnum fuerunt, & iterum vnum diuino matrimonio facti sunt, testante Scriptura S. & erunt duo in carne vna, quorum vterq; propter alterũ relinquet patrem & matrem & adhærebit alteræ suæ parti. Non est enim aliàs existimandum, quàm vxoris maritum, & huius illam, alteram fore corporis partem inseparabilem. Quum viderimus eos aliter se gerentes, iudicabimus illos non vnitos, sed coniunctos tantùm esse, non amore vero, sed vel

turpis lucri, vel illiciti potiùs appetitus extinguendi causa, cuius ignis quum refrixerit, frigent omnia simul. Non talis est amor Philosophicus, nam inextinguibili prorsus accensus igne non extinguitur. Quicunque per spiritum vniuntur spiritus, in vnione manent, quæ verò per corpus iuncta sunt corpora, facile separantur. Est & parentum erga natos, & horum erga parentes propriùs amor, qui Philosophico nullo modo comparari potest: nam pro gnato pater, nec pro patre filius, minus pro fratre vel sorore, soror aut frater, vel quispiam amicus vel minimæ suæ iuncturæ pati iacturam nollet. Quis ille qui pro seipso mortem obire libenter, quãtò minus pro quopiam alio velit? Vbi tandẽ quærendus est amor? certè non alibi quàm vnde processit. Sic Deus dilexit mundum (intellige hominem) vt proprium filium nasci voluerit hominem, qui pro hominibus mori, morteque sua Iusticiæ, qua nos plecti debebamus, mortem persoluere posset. Nõ potuit enim filius Dei mori, sed homo factus, mortuus est perfectus homo filius hominis, iustusque iustitiam compleuit. O admirandus amor Dei erga homines. Non ex Gentilium inani Philosophia, nec reliquorũ mundi sapientum huius, tam fœlices vndæ manant, quas (dum nos vanis attentos studijs

dijs

dijs detinet)prętерimus ô miseri sodales. Ad aliam nos vocat Philosophiã amor iste diuinus. *Spiritus.* Agitedũ igitur Anima mea, Corpusq; meum surgite nũc, Animũ sequamini vestrũ. Ascendamus in montẽ excelsum hũc nobis oppositum, de cuius cacumine vobis ostendã itet hoc biuiũ, de quo per nubẽ & sine lumine loquutus est Pythagoras. Nobis autẽ aperti sunt oculi tum prælucet Sol Pietatis & Iusticiæ, quo duce nõ possumus à via veritatis deflectere. Voluite primũ oculos ad dextrã, ne videant vanitatem antequã Sapientiã perceperint. Videtis nè relucens illud ac inexpugnabile castrum? *Anima & Corpus.* Videmus. *Spiritus.* In eo se continet Philosophicus Amor, de cuius fonte fluunt aquę viuæ, quas qui degustarit semel, non sitiet vanitatẽ amplius. Ab eo loco tam amœno suauiq; rectà progrediendum est ad amœniorẽ, in quo Sophia morã trahit, de cuius etiã fonte scaturiunt aquæ primis longè fœliciores, quas qui gustarint inimici, pacem eos inire necesse est eorũ, qui veniunt eò, plerique; solẽt altiùs tendere, sed nõ omnes optatũ assequũtur. Est vltra dictũ locus, quem adire vix licet mortalib. nisi per Numẽ diuinũ ad immortalitatis gradum assumpti sint: at antequam introducantur, mundum coguntur exuere, eà ducæ vitæ spolio retento. Non est eò quum

peruenerint, quod ampliùs mortem timeant: imò potiùs indies eam amplectantur suauiùs, quàm in mundo quid vnquam suaue iudicatum est eis amplexu dignum. Vltra hæc loca postrema quicunque progrediuntur ab hominum oculis euanescunt. Si tria priora videre libet, ascendamus altiùs. En supra Chrystallinam arcem hanc primam, secundam videtis argenteam, vltra quam tertiam adamantinam, quarta verò non cadit sub sensum, donec vltra tertiam ventum sit. Hic est aureus & perpetuæ fœlicitatis locus, sollicitudinis expers, & omni repletus gaudio perenni. Nunc ad sinistram deflectamus oculos. En videtis mundum voluptatibus atque diuitijs plenum, in quo nihil oculo caduco displicere potest, at huius peregrinationis videamus exitum. Vallem obscuram fuliginosa repletam caligine sub finem horizontis perspicuè cernitis. *Anima & Corpus.* Cernimus quidem. *Spiritus.* Quum hi qui latam ingrediuntur viam eò peruenerint, horum solatia vertuntur in tormenta, quorum nullus est finis. Si velitis aurè attentiùs exhibere, potestis hinc vlulatum percipere, nisi vos impediat eorum gaudij rumor, qui tam anxiè tendunt in sui ruinam. *Anima & Corpus.* Audimus profectò, sed quî fit, vt isti huc non redeant? *Spiritus.* Quia miseriæ vallem

lem hanc non vident, quouſq; poſtremam pœnitentiæ viam præterierint, poſt quam non eſt reditus. *Anima & Corpus.* Sunt igitur alię vię, per quas ab eo graui periculo deflectere poſsint? *Spiritus.* Imò duæ laterales tãtùm in dextram huc ad nos vt videtis vergentes. Ab hoc in quo iam ſumus loco per Chryſtallinam arcem oportet omnes facere tranſitum qui reſipiſcunt, vt quę videtis nũc videãt ipſi. *Anima & Corpus.* Miramur quod miſeriæ vallem non videant priùs. *Spiritus.* Mirum non eſt, quia plana eſt via, facilis & grata, homines alliciendo ſeducens, tum in plano quouis breuis apparet horizon, ſi huc vt nos aſcendiſſent, vtriuſque viæ percepiſſent exitum. *Anima & Corpus.* Quo nomine vocantur? *Spiritus.* Lata quidem erroris, lateralium prior infirmitatis, poſterior paupertatis, & hæc in qua ſumus, ueritatis uiæ dicuntur. Quarumlibet in oſtio poſitus eſt angelus Domini, qui tractus diuini Spiritus nominatur. Hoc in paſſu primo trahit omnes, cuius tractui ſe reſtiterint miſeri mortales, laxantur habenæ pertinacibus, quos uiam erroris ingreſſos adhuc expectat Dominus, donec aliquandiu mundanis abuſi delicijs, per propriam petulantiam incidant in corporis infirmitates non immeritò, cùm per hoc in errorem tracti ſint. Pauciſsimi

quos errores ſuos agnoſcere contingit, per priorem reſipiſcentiæ viam ad locum hunc redeunt. Reliqua pars maxima, cum his qui primo non reſipuerunt loco, pertinax vlteriùs progreditur. Nonnulli qui per infirmitatem caſtigari noluerunt, & alij qui nondũ caſtigati ſunt, in paupertatem propria cauſa permittuntur incidere, quorum paucissimi pœnitentiæ viam ingrediuntur. Plurimi verò progrediuntur in errore cęcutientes, donec in foueam cadant, à qua ſurgere non licet. *Anima & Corpus.* Paucos admodum videmus per pœnitentiæ vias redire. *Spiritus.* Hoc impedit corpus. *Corpus.* At ego potiùs mori vellem centies, quàm latam in finem vſque viam perficere. *Spiritus.* Quia vidiſti, ſic loqueris, at vide ſis huius memor in poſterùm. *Corpus.* Quocunque vos ieritis prõptiſsimum ſequar, ſed priuſquam diſcedamus hinc, dic precor, qui factũ eſt, vt & nos latam non ſimus ingreſsi viã? *Spiritus.* Quibus primum Domini tractum recipere datũ eſt, Deo non ſibi ferant acceptũ. *Corpus.* Trahuntur tamen omnes. *Spiritus.* Verum eſt, at omnes tractũ non recipiunt. *Corpus.* Quęnam eſt huius occaſio? *Spiritus.* Quod in biuio exiſtentes oculos magis ad ſiniſtras vanitates, quàm ad hunc dextrum aquæ viuentis fluuium, tam admirando fluentem artificio de

cio de montis, in quo iam sumus apice defle ctunt. *Corpus.* Quod est monti fluminiq; nomen? *Spiritus.* Vtriq; primus Domini tractus. *Corpus.* Sunt ne alij tractus præter hos quos iã expofuisti? *Spiritus.* Plurimi sunt inter hos medij, qui sentiuntur ab omnib. in propria conscientia, sed parui fiunt ab his qui nolũt, vt antea dictum est, recipere. *Corpus.* Quid est quod in isto ducis admirandum fluuio? *Spiritus.* Vidisti tu vel quispiam unquam de tam sublimi loco descendentem aquæ copiam sine strepitus horrore maximã? ignoras etiam pendẽtem aquam vltra quòd mũdi motus superat, quantumuis intrepidum hominẽ, vel in terra Martem ipsum (si quis existat) excitatione soni, ventiq; terrere posse, veluti plurimis in locis videri potest? *Corpus.* Certè quibusdam in collibus fui tãtùm, de quib. aqua defluens à ponte saris remoto perterrefactos & agitatos vento prętereuntes quantumcunq; fortes deijcere potuit, ni si quadã industria viribusq; reassumptis eorum vicissent animi, trãsitumq; sibi fecissent. *Spiritus.* Primus hoc loco tractus est admiratio fluuij, quã & aquæ degustandæ maximũ desiderium & gustum, eius originis visendę plurimus & intẽsissimus amor subsequitur, qui degustantẽ etiã, vt ferrum Adamas, huc allicit, vt quæ discrimina rerum sint videat.

Corpus. Nunquam ego hoc per meipſum cõ ſideraſſem, etiamſi locis inferioribus cõtrarium accidiſſe uiderim. *Spiritus.* Oculi tibi carnei ſunt, qui non percipiunt ea quæ mũdum ſuperant. Qui res tantùm ſuperficialiter, aut ex manifeſto uident, non putant aliud in rerum natura fore, præter id quod ſub ſenſus cadit: huiuſcemodi homines quotquot ſunt, non contingit huc aſcendere, niſi ſpiritus eorũ Domini tractum ex fluminis montisque mirabili conſideratione, ſpecialique dono ſentiant & recipiant. *Corpus.* Hoc unicum adhuc abs te ſcire cupio priuſquam diſcedamus hinc. Quid ſibi uult ad amœniſsima loca tam difficilis aditus, cũ propter itineris aſperitatem exiguitatemq; tum ob huius & fluminis protractum rectiſſimum, ut uix protenſo filo quid rectiùs delineari poſsit? *Spiritus.* Video te corpus meũ libenter hîc moram protrahere, quo diutiùs mundanis laruis & fucatis oculos paſcas: hos te ſæpiùs, etiam ſi de dextris petas, ad ſiniſtram detorquere, mihi ſuſpicandi præbẽt anſam, hæc te non tam ſciendi curioſa cupiditate percontari, quàm quòd poſtquã hinc receſſeris, mundi conſpectu priuatum iri te uideas. *Corpus.* Miſſa faciamus hæc, reſponde ſaltem. *Spiritus.* De difficultate, qua tibi ſatisfiat, intellige primùm ad gloriam alia

quàm

quàm per crucem uia, non ſecus ac ad arduas quæquæ, quàm ſummo labore nullus patet aditus, ut facilè partorum leuis, & difficilè grauis exiſtimatio foret. Aſperitatis leuitas, ut mortis uita, non minus quàm exiguitatis amplitudo finis eſt. Rectilinium etiam & carens ambagibus eſſe debet omne quod in Veritatis ſemitam ducit. Iam habes quod optas, neç eſt quod moremur amplius, tu ſequere nos. *Corpus*. Poſtremum hoc eſto. *Spiritus*. Omnia nunc audiſti quæ neceſſaria ſunt, nihil moror. *Corpus*. Saltem Anima tu mecum tantiſper mane. *Anima*. Nec te, nec ſpiritum libenter deſero, tacui tamen donec utriuſque rationes audiuerim, placent quæ ſpiritus loquitur, quæ tu, nihil præter morã adferunt auribus meis. *Corpus*. Video nunc me uictum iri miſerum. *Spiritus*. Verè miſerum, ſequere nos ut fœlix nobiſcum fias. *Corpus*. Vtinam, at ego ſolum quid contra duo? *Spiritus*. Tace, poſt paucos dies ſola cũ ſolum ages. *Corpus*. Quid hoc audio, tu fortè nos qui Dux noſter es auios deſeres? *Spiritus*. Abſit vobiſcum ero dum eritis. *Corpus*. Aperias igitur quid hoc ænigmatis velit. *Spiritus*. Prout oculi, ſic intellectus & omnia quæ poſsides carnea ſunt. *Corpus*. Fac ſaltem intelligam. *Spiritus*. Quid ſi quæ tibi ſunt ob oculos non percipis, ea quæ non vides

quum dixero, qui percipies? *Corpus.* Supra quòd miseris me torquet modis lapidosũ, strictũ & spinosum iter hoc, verbis tuis massam hanc per se grauem aggrauas. *Spiritus.* Non nisi conor subleuare. *Corpus.* Ita non feceris. *Spiritus.* Qui factum velis? *Corpus.* Aperta loquendo. *Spiritus.* Non didici quæ tua sunt. *Corpus.* Nihil tecum solum efficiam. Heus Anima mea quam semper charam habui, non loqueris? auxilium non præstas amico fidissimo? *Anima.* Dubia sum inter vos, alterutrius partem æqualiter gero. *Corpus.* Tamen Spiritum quàm me sequeris libentiùs. *Anima.* Deliras omnino. *Corpus.* Vtinam in itinere biuio mansissem. *Anima.* Id feciſſes. *Corpus.* Præter te non potui, qua sine possum nihil exequi. *Anima.* Nec ego præter Spiritum valeo gradum sistere, sine quo te sine sim necesse est. *Corpus.* Siccine tu parabolicè loqui tam breui didicisti tempore? *Spiritus.* Non nisi simpliciter, sed quæ nuda est oratio sicuti tenebris inuolutum es, amphibologica vel allegorica tibi videtur. *Corpus.* Vobiscum nil effecero, tacebonè sicut ipsa tu dudum vt hæc in posterum Anima reseruares mihi? *Anima.* Nil nisi bonũ. *Corpus.* Spiritus te seduxit. *Spiritus.* Minimè verum, at ego ipsam & te huc ad salutẽ duco. *Corpus.* Dicis tamen. *Spiritus.* Credes non antequàm

tequàm videas. *Corpus.* An tu me cæcum ducis? *Spiritus.* Optimè, nec veriùs vnquã loquutus es. *Corpus.* Væh intolerabile scœlus, oculis mihi tu me meis carere persuadebis? *Spiritus.* Imò docebo. *Corpus.* Audiam quæso. *Spiritus.* Vidisti nos in radice montis Domini tractus bibentes de fontis amoris? *Corpus.* Nõ bibistis. *Spiritus.* Ecce iam tu cæcitatem tuã aperte fassum es. *Corpus.* Cur non iussistis & me vobiscum bibere? *Spiritus.* Quia non poteris, donec nobiscum videas. *Corpus.* Quãdo tandem id fiet? *Spiritus.* Quum tu nobiscum vniendis vnum fueris. *Corpus.* Rursus quando? *Spiritus.* Quum ad veritatis arcem simul deuenerimus. *Corpus.* Acceleremus ergo ne diutiùs videns, cęcũ dicar. *Spiritus.* En ad arcem primã Chrystallinã appulimus, pulsabo. *Corpus.* Quid opus est? porta caret foribus. *Spiritus.* Non decet peregrinum aduenam alienos ingredi lares, non priùs petita venia. Introduci nos iube quisquis hîc imperas. *Philosophia amoris.* Quis rarus admodum hospes acclamat? *Spiritus.* Tres Philosophiæ discipuli. *Philosophia.* Quid hîc quæritis? *Spiritus.* Philosophiã addiscere. *Philosophia.* Ea quę didicistis iterũ discere quid opus est? *Spiritus.* Carduos hucusq; pauimus, ad fœliciores beras anhelamus. *Philosophia.* Betis implere ventre cupitis? *Spiritus.* Quouis meliori quàm antea pabulo, nam quas pauimus herbas, pungentes

nunc

nunc à ſiniſtris mox à dextris inter dentes ſpinas reliquerunt aſperrimas, quæ nobis eſcæ talis præbent nauſeam. *Philoſophia.* Audio vos rudioribus quàm Schola noſtra ferat imbutos eſſe: verùm quia non ſolemus recuſare quotquot ad nos veniunt, introducemini, non priùs tamen quàm ante portam deponatis cornua. *Spiritus.* Præſto ſumus iuſsis obtemperare tuis. *Philoſophia.* Moris eſt apud nos recentiores diſcipulos examinari. *Spiritus.* Eſto. *Philoſophia.* Quid Philoſophia? *Spiritus.* Amor eſt Sophiæ. *Philoſophia.* Sophia quid? *Spiritus.* Veritatis eſt omnium ſumma ſapientia. *Philoſophia.* Quid amor? *Spiritus.* Cognitæ veritatis eſt inſatiabile deſiderium. *Philoſophia.* Vnde hæc habes? *Spiritus.* A' Domini tractu. *Philoſophia.* Per quos? *Spiritus.* Per eos quos docuit priùs vt alios docerent. *Philoſophia.* In Vniuerſitatibus quid audiſtis? *Spiritus.* Inanem Philoſophiam. *Philoſophia.* Quid hæc docet? *Spiritus.* Contentiosè rixari, pro & contra (quod aiunt) pertinaciter argumentari. *Philoſophia.* Pro & contra. Quæ chimera beſtia eſt hæc? *Spiritus.* Non ſat ſcio quod ſophiſmatum genus, hoc nunc ad dextram, in ſiniſtram modò partem, inſtar hominis cereum habentis naſum detorquere licet, à naſutulo fortè quopiam, qui cùm iſto retilicio cæteros immeritò

meritò reprehendisset, eodem vt aliorum euaderet manus excogitatum. *Philosophia.* In quem finem? *Spiritus.* Ostentationis doctrinæ causa. *Philosophia.* Est itaque doctrina fallax? *Spiritus.* Ea saltem quam audiuimus, qua quicunque magis imbuti sunt, sapientię minus habent. *Philosophia.* In eo verè sapis eos maximè sapientes fore, qui circa perceptibilia minùs intelligũt. Antequàm intretis huc, oportet in matriculam Scholæ nostræ describi nomina vestra. *Spiritus.* Spiritus vel Animus mihi nomen est, huic Anima, tertio verò Corpus. *Philosophia.* Satis affines socij. *Spiritus.* Imò tres vnico partu nati fratres. *Philosophia.* Inuocato priùs vero lumine, sic mecum loquamini. O Pater Omnipotens Æterne Deus, Creator omnium quæ in cœlis & in terra sunt, qui nos ad imaginem & similitudinem tuam creasti, nõ vt in nihilum nos redigeres, sed vt essemus tibi ad gloriam, da nobis gratiam Spiritus Sancti tui, qua possimus intelligere, & scire quænam sit voluntas tua, vt auxilio tuo faciamus eam, in tuoq; lumine videamus lumen, & veritatem amore prosequentes eam assequamur. Amen.
Ingredimini iam ad gloriam Dei, vestriq; salutem Amoris philosophici portas, & gymnasium in quo docetur amor perpetuus. Assidete dapibus, vt quisq; suis potu ciboq; reficia-

reficiatur. In primis Deum oremus. Oculi omnium in te ſperant Domine, & tu das eis cibum in ſuo tempore, manum tuam aperis & reples omne quod viuit benedictione. Non ex pane ſolo viuit homo, ſed ex omni verbo quod procedit ex ore Domini. Corpus ede bibeque tibi quę ſunt appoſita corporea, tui ſodales cibum non ore, ſed auribus hauriunt, eorum ego nunc habebo curam. Spiritus Animaq; benignas aures adhibete. Quamquam à tractu Domini primo vos per eius Angelum audiuiſſe non dubito, ſtudij cognitionisq; Philoſophicorum efficaciam: tamen corporis mole tunc grauiores quàm futuri modò, vix potuiſtis omnia ferre, pretium opere fuerit, antequàm ad amoris fontem veniatis, obiter ea repetere quæ hîc neceſſaria videbuntur. Ante lapſum Adæ nec lata ſiniſtraq; via, nec miſeriæ vallis extiterunt, ſed vndiq; patebat aditus ad hæc fœliciſsima loca. Poſt primam hominis inobedientiam, Dominus viam hanc ampliſsimá eo tempore, nunc in ſtrictiſsimam difficilimamque ſemitam (vti videtis) reſtrinxit, in cuius oſtio collocauit Cherubin Angelũ anceipitem gladium ſuis manibus tenentẽ, quo quidẽ arceret omnes ab introitu fœlicis patriæ. Hinc deflectẽtes gradum Adæ filij, propter peccatum primi ſui parentis, ad ſiniſtrá

ſibimet

sibimet latam viam extruxerunt, quam euitastis. Longo postea temporis interuallo D. O.M. secreta secretorum suorũ introiuit, in quibus amore miserente, accusanteq; Iustitia concluſit Angelo gladium iræ suæ de manibus eripere, cuius loco tridentem hamum substituit aureũ, gladio ad arborem suspẽso, & sic mutata est ira Dei in amorem, seruata Iustitia. Quod antequam fieret, fluuius iste non erat vti iam in se collectus, sed ante lapsum per totum orbem terrarum expansus roris instar æqualiter, postea redijt vnde processerat. Tandem vt Pax & Iustitia sunt oscu latæ se, descendit affluentiùs ab alto manãs aqua gratiæ, totum nunc mundum alluens. In sinistram partem qui deflectunt, partim in arbore suspensum gladiũ videntes, eiusq; noscentes historiam, quia nimium insiti mũdo sunt, prætereunt. Nonnulli videntes eius efficaciam, perquirere negligunt. Alij nec vident, nec vidisse voluissent. Hi rectà peregrinationem suam ad vallem dirigunt omnes, nisi per hamos resipiscẽtiæ vel pœnitentiæ, nõnulli retrahantur ad montem Syon. Nostro iam sæculo, quod gratiæ est, mutatus est gladius in Christum Seruatorem nostrum, qui crucis arborem pro peccatis nostris ascẽdit. Hæc omnia legum naturæ, diuinæq; rũ gratiæ tempora denotant. Nunc audite quis

errorum viæ mundiq́ue fabricæ priùs ſtatus exiſtat. Dixit Deus Adamo poſt lapſum. In ſudore vultus tui veſceris pane tuo, & in dolore pariet vxor tua, maledixitq́ue terræ propter hominem, & ſterilis facta fuit, quæ nullo cultu priùs, ſed affluentia cœleſti tantùm, producebat fructum abundantiſsimum: at licet nunc humanis agitata ſit laboribus, tribulos & ſpinas vix ferre videtur. Ab eó tempore quo veritatem exuit homo, de victu & amictu qnærendis, eum anxium reddidit ipſa neceſsitas, quæ ſtudiorum eſt mater altera, primarum etiam artium inuétrix, vt agriculturæ pariter & paſtoralis exercitij. Cœperunt itaque primi ſinceriq́ue homines quęrere, quibus carere non potérant: impuri nõ ſolum eá, ſed per fas & nefas vſurparunt omnia quæ ſuis viribus inferiora fuerunt. Nuditas docuit primum hominem carnes frondibus tegere nudas, tandem induſtria paulatim (vt moris eſt) aucta propter neceſsitatẽ, pellibus animalium operire: mox inde fames, fodere, ſerere, ſuoq́ue tempore meſſem colligere, gregis, armentorum, pecudum & paſcuorum habere curam, & alendæ familiæ, moribus, naturæq́ue legibus docendæ conſeruandæq́ue pacis, ab imbrium & temporum iniuria, caſis tectisq́ue ſeſe nec non armẽta ſua tueri: tota primæ fuit hæc neceſ-

ſitatis

ſtatis anxietas. His artibus primi patres ævi contenti lœtiq; vixére pacis temporibus. Terra poſtquam repleta fuit, non potuit ſufficere, vt quiſque portionem haberet eius, & agricolæ forent omnes vel paſtores. At oportuit alijs alios inſeruire diuerſimodè qui non habuerunt. Amictus & fabricæ diuerſa genera produxit curioſitas, inde ſartores, ſutores & fabri, quos acus & malleus comprehendunt ſumpſerunt originem. Horum diuitiæ labore partæ quæſierunt otium apud nonnullos, qui ſibi tãtùm agri compararũt, quantum victui ſupplere potuit, amictuiq;: Penes reliquos augmentum, qui conſiderãtes rerum penuriam vnius, & alterius abundãtiam loci, mercimoniũ exercuerunt: hinc vectores, & animalium baiulantium actores vel agaſones prodierunt. Nec victus ratio caruit ſuis artibus: nam piſtores, furnarios, laniones, coquos & œnopolas excogitauit, in peregrinantium commoditatem & ſolatiũ. Hæc ab initio bona fide tantiſper adminiſtrata ſunt omnia, donec proprium commodum, odiumq; fraternum irruperunt, à quo tempore mutata ſunt hominum ingenia, tãtaque poſſidendi fames, quantum opulentia creuit in hunc vſque diem, quo nemini nemo nec ſibimet fidere cœpit. Commodo quiſque ſuo caſas in ſplendidas mutauit do-

mos, quæ tandem in pagos, oppida, caſtra, ciuitates, & ſuburbana in vrbes excreuerũt, ab odio non immunia tamen. Poſtquam tẽporis iniuria homines ignauos, qui non proprio ſed alieno labore victitare volunt, ſimul & bellum peperit inter vicinos potiſsimũ. Hoc foſsis, mœnibus, aggeribus & propugnaculis, in defenſionem iniuriarum, dedit initia. Contra vitiorum paſta, quam otium fore ſcitur, bombardarum atque tormentorum execrabile genus diabolicum attulit ab inferis, quo totius humani generis (niſi diuino cautum eſſet auxilo) rueret ſocietas, quæ quidem nouarum artium vltima cõclu ſit mundi fabricam. Et propter dictorum varietatem pulchrum appellant mundum, qui diligunt eum: at vos auditores iudicate quæ nam ſit eorum pulchritudo, quę quanto magis abundant, tanto quieta minùs, at magis anxia ſunt. Quæ mundum, vt audiſtis, concernunt, omnia labilia, nec eſt qui pilum horum pauper vel diues per mortem ſecũ deferat. Videte igitur in quibus ſpem ſibi reponunt miſeri mortales, & quãta cura ſibi cõparant nihil, quod eos perdit. Nunc audite quæſo ſœculi tranſitorij peregrinationẽ huius, erroriſq; viam. Ætatis anno ter ſepteno peracto, biuium electionis maxima pars aggreditur, omniũq; curſus per Angelũ Domini tra-

ni tractus hamo retardatur. Verũ plerique; sub eo repentes, alij transiliẽtes, & maxima pars dũ pauciſsimi trahũtur inter hamũ & introitum erũpens viæ, ſalutẽ fugiũt omnes quotquot hunc euadere tractũ conantur, nulloq; freno mundum ingrediũtur. Horũ pars potiſsima delicijs & mũdanis abuſi voluptatibus, in paupertatẽ à Domino Deo miſericor de ſinuntur incidere, qua retrahãtur ad prio rem reſipiſcentiæ viam: ſed inutile prorſus humanum genus, cui Deo reſiſtere iam innatum eſt, non deſiſtit media quærere quib. proprio conatu laqueos euadat, quos ſibimet poſuit, ab eo non petens auxiliũ, à quo dependet omnis miſericordię munus. Hinc factum eſt, vt in ſiniſtram viæ partem officinam ſibi maximam extruxerint, in qua quidem officiorum genus exercetur omne. Huic domui præeſt Induſtria, quæ cunctos præter ignauos pigrosque recipit. Ab vna parte quorumuis ſtudiorum officinę literariæ poſitæ ſunt, ad quas illi ſe recipiunt, qui ſua literas incuria reliquerant. Iſti plerunq; ſeſe conferunt ad manuales officinas ab altera parte ſitas, in quib. experiuntur ea quæ literis à ſapientioribus olim commiſſa fuerunt, ne ſicut priùs inexperti rerum, litera ſola ducantur in opiniones fallaces. Alij qui ſuo damno mercaturam exercuerunt, ac illi

qui manualibus incumbẽtes artibus in pauperiem lapsi sunt, nouas rerum formas, inaudita nec visa dies ac noctes somniant, quæ mercatoribus mercatores, & mechanici pretio quibusuis passim exponunt, vt sua damna cùm resarciant, tũ ad opimiora perueniant. Quæ postquam adepti fuerint, ab Industria recedentes, in secũdam tendunt mũdi regionem, per infirmitatis pontem faciẽtes transitum, ante quem secundus Domini tractus oues perditas ad ouile verum conatur adducere, harum pauciſsimæ resipiſcentiæ viam ingrediuntur, cæteræ pontem pertinaciter transeuntes, bonis iam industria partis, liberiùs vtuntur quàm prioribus. At quia bonus Deus eos retrahere vellet, infirmitates in eos dominari permittit, tum rursus vt prius remedium à se quęrentes, ad Xenodochium etiam à siniſtris per eos constructum, & per maximum confluunt, cui Medicina pręest. Ibi Pharmacopolarũ, Chirurgorum & Phyſicorum ingens est copia, quodque quiſque ſuum exercet officium. Sanitate iam recuperata, non ſicut antea ditiores facti, ſed diminuti bonis abeunt, pontemq; ſenectutis maxima pars eorum inuito tractu Domini præterit, vno vix aut altero viã ingrediente poſtremam, quæ pœnitentiæ dicitur. Vbi iam ad mundi regionem tertiã

deuen-

deuentum est, nil præter incuruata senũ videre dorsa, rugas facierum, claudicationes, lamentationes, suspiria, reliquorum etiam id genus tędiorũ audire licet. Quæquæ cuique sua facta manent, donec ad postremum hospitium appulerit, in quo seuerus admodum hospes, nullius parca manu separationis aculeum corporis ab anima laxat arcu mortifero. Quid inde fiat, ignoro libenter, iudicium Deo, cuius est, relinquens. Mundi fabricæ, peregrinationis humanæ, ac erroris viæ statu cognito, videamus quis Veritatis viæ sit exitus, vt oppositorum debita comparatione facta cognoscatis, vtra vel erroris, aut Veritatis via sit Salutis. Audiuistis antea gladium Angeli primi tractus ad arborem supra fluminis ripam suspensum fuisse, cuius (nunc tempore gratię) loco pendet ob oculos nobis Deus Deiq; filius, generis humani restaurator Christus. Is efficaciùs prætereuntes amore suo manifesto, nullisq; velato figuris, quàm Magnes ferrum attrahit, ni forte mundi fex & allium obstet. Quicunque per amnis (vt suprà dictum est) eminus apparentis admirationem, & amoris inexhausti cominus oblatum exemplum tracti sunt, ad nos huc se cõferunt, nec minùs ac vos quotquot Veritatis ministræ sumus, erudiendos libenter suscipimus, vt in posterum

audietis latiùs. Priuſquàm tamen id fiat, ſumptis iam cibo & potu, gratias agamus Deo, qui dedit omnia quæ neceſſaria ſunt omnibus. Agimus tibi Deo Patri gratias immortales, quòd nos cùm verbo creaturisque tuis alere, tùm in hunc locum vſq; perducere dignatus es, ad ſpem vitę melioris: fiat voluntas tua, qua perficiatur in nobis, quod per te ſolum inceptum eſt. Amen. Nunc ad amoris fontem nos conferamus vt bibatis. En ſitim extinguite veſtram, nõ amplius Animus uel Spiritus, nec Anima, nec duo deinceps uocabimini, ſed Mens unica fortior, ut facta reſiſtere poſsis inimico tuo corpori, quo cũ tibi luctandum erit uiriliter, donec ipſum naturæ curſum perficiens à te ſeparatum actu fuerit: poſtmodum eſt quod idem at purius defecatiusque tibi diuino myſterio coniungẽdum iterum ſperes, ad gloriam eius, qui cuncta condidit, ſalutemque tui. Quinam tibi ſit pugnandum audies à ſequenti gradu quarto Frequentia, quam uos adeuntes, modò comitabor in primum uſque lapidem. Interim totius uiæ ueritatis progreſſum obiter uobis ob oculos depingam. A' Frequentia recedentes & inſtructi peruenietis ad Sophiæ caſtra, quibus excepti, longè uehementiori quàm antea cibo reficiemini. Hucuſque lac ſolùm deguſtaſtis: nam donec robuſtiora

ſtiora facti, robuſtiores ferre ualeatis, adhuc eſtis paruuli. Virtus nempe Sophiæ docebit quantus ſit amoris ueri fructus, quantamq; Menti delectationem corporis adferat ſuccubitus, utpote non minorem quàm pro palma certãti cum inimico ſuo militi uictoria. Demùm ulteriùs ad Potentiam ſextum gradum tranſibitis, à qua Virtutũ addiſcetis exercitia nedum cognoſcere, uerùm etiam exequi. Hæc poſtremò ducet uos ad ſeptimũ & ultimum Philoſophiæ gradũ, utpote miraculum, in quo mundi martyria fiunt gaudia. Breuiter huius uię finis, ęternæ uitę gaudijq; perennis & perpetui primũ eſt initiũ, ad quæ uos ducat ulteriùs qui uos hucuſq; perduxit Omnipotens & Miſericors Dominus Deus, hic uobis inde ſit comes reliquus: Ite, fœliciterq; ualete fratres. *Corpus loquitur.* Hui quis mihi nunc factus eſt comes? ubinã es Anima mea? *Mens.* En adſum, quid me uis? *Corpus.* Non te uideo. *Mens.* Iam iterũ ut priùs te cæcum eſſe fateris. *Corpus.* Vbi ergo Spiritus meus eſt? *Mens.* Et me tibi præſentem quæris? *Corpus.* Deus bone, unico uos ambo nunc ore loquimini? *Mens.* Quid mirum, an eius es immemor quod ſuprà dixi te ſolum cum unica rem habiturum, dum conqueſtum es cum duob. agere te debere? *Corpus.* Quid audio, nunquid oculos meos

faſcinaſtis? *Mens.* Abſit à me faſcinium. Verũ hauſtu ſimul ex amoris fonte facto reducti ſumus in vnam, vt non amplius cum duob. tibi pręliãdum fore putes, at cum vnica Mẽte. *Corpus.* Mens plurimis initium eſt, vt mẽſæ, menſuræ, menſibusque. *Mens.* Vtinam & mẽſam menſurare didiciſſes tuam, & menſium tuorũ futurum eſſe finem recordareris. *Corpus.* Mirum dicis, abſque cibo me viuere ſcis impoſsibile. *Mens.* Hoc & aliud ſcio, nõ ex ſolo pane viuere hominem, quod ignoras. *Corpũs.* Ex quo tu viuis? non adhuc te comedentem vidi. *Mens.* Rurſus tuam cæcitatem adfers in medium. *Corpus.* Quî ſic? *Mens.* Ex omni verbo quod procedit ex ore Domini viuo. *Corpus.* Vtinam & mihi ſic uiuere liceret abſque labore. *Mens.* In poſterũ & tibi (non antequàm tu morianis tamen) licebit. *Corpus.* Durum nimis commemoras. *Mens.* Non niſi iucundum. *Corpus.* Mortem iũcundam facis? *Mens.* Imò his qui nouerũt eam. *Corpus.* Nouiſtine? *Mens.* Maximè noui. *Corpus.* Depinge mihi precor eam, quę ſe timendam præbet omnibus. *Mens.* Libentiſsimè tibi hac in re nunc obſequar. Nemo hanc metuit præter te. *Corpus.* Tu non? *Mens.* Nil minùs. *Corpus.* Inſanis præ nimia ſapientia plus dicis tu. *Mens.* Tu. *Corpus.* Scio tamen omnes hanc abhorrere. *Mens.* Rere. *Corpus.* Vt in-

Vt intelligaris loquere. *Mens.* E're dicam vt intelligas, Mens hominis immortalis est, ideo mortem non timet, imò viriliter illam superat; Corpus verò morti subiectum est omne, quapropter eam apprimè formidat. *Corpus.* Quî scis quòd morti Mens non subijcitur? *Mens.* Scitur ex eo scilicet. Omne quod ex morte sumpsit originem est mortale, quod autem ex vita primordium habet, nõ moritur, nec id quod inter vitam & mortem est medium adhærens vitæ. *Corpus.* Obscura nimium loqueris. *Mens.* Non nisi clara. *Corpus.* Quid est vita? *Mens.* Corporis est & Spititus vnio, vel cohærentia. *Corpus.* Quid ergo mors? *Mens.* Est vitæ priuatio. *Corpus.* Hoc non euasi doctius. *Mens.* Audi, quam tu mortem existimas, hæc mihi vitæ est initium æternæ, iucundiusque nihil nobis accidere potest, modò tibi molesta non foret. Verùm tu detestaris eam, quod scias hac te mũdanis priuari delicijs, at ignoras inter has & æterna gaudia minorem comparationem similitudinemque fore, quàm inter fel & mel aliquando sciam degustasse te. Tandem vt meliùs hanc differentiã cognoscas, est quòd consideres id quod scis, omniũ nempe quæ tibi possunt vnquam accidere voluptatum huius mundi continuationem: tædium (vt potiùs dicam) nauseam, & quod longè dete

rius est, infirmitatem & nonnunquam immaturam inferre mortem. Si nũc cibum appetas, postquam aliquoties uentrem eo repleueris, alium quæres, quo quum satiatus fueris, iterum alium. Nec cessabis unquam in hoc mundo quærere, quod non inuenias uotis non satisfeciſſe tuis. De potu quid, interea dum per gulæ canalem transit, oblectat, eò dum ampliùs intrare non ualet, plurimùm torquet, nec ab eo potes abstinere quod occidit, mortem tamen quam tibimet infers metuis. O miserum & insatiabile Corpus, quod ab eo cauere non scit quod nocet, idque timet quod ipsum est & facit. Vides ergo brutis humanum Corpus Menti suæ dissonum, infœlicius esse, cùm irrationalia nihil præter sibi necessarium appetant. Rationalia uerò minimè quod opus est, at magis quod necat sollicitè procurãt. Ad ea iã deueniamus quæ in corporis vsum extra ipsum expetuntur, vt sunt omnis generis diuitiæ, propter quas indies miris diuersisque modis torquentur hominum corpora Mentem non assequuta. Quid non moliuntur, quæ non humana pectora subeunt pericula, quibus Animam in exitiũ, & Corpus miserum distrahant ab Animo, non alia de causa, quã vt sibi de proprio corpore fingere possint idolũ? Quod byssо, purpureo, coccinoq; tor

quibus

quibus & armillis adornatum ſupra Deum tacitè non verentur adorare. Maiorem ſuiipſius quàm alterius idololatriam hanc eſſe quis ibit inficias? Aut mortem horum eſſe finem deliciarum omnium, & mortis initium æternæ? O Corpus ignarum nihil præter ipſum te formidas: nam ex te mors per appetitum initium ſumpſit, nihil etiam appetis quàm quod ex te eſt, vtpote corruptionem, quæ mortem inducit quam times. Vide igitur quàm tu tibi met minimè cõſtes, quãquo alijs, cùm tibi nõ poſsis, reſiſtere valeas. Reſipiſce quæſo dum potes nobis adhærens, ne tardè nimis cupias. Ad Frequentię nunc hortos peruenimus, ibi te plura de hac re licebit audire.

De quarto gradu.

CAPVT QVINTVM.

QVicquid amore quis proſequutus fuerit, idipſum niſi frequentauerit, eius extinguitur affectio. Quapropter nõ inconcinnè dicere poſſumus, alimentũ amoris eſſe Frequentiã, quã nunc aggrediamur. *Mens.* Salue plurimũ ô Frequentia. *Frequentia.* Vos quoque ſaluere iubeo gratiſsimos aduenas ac hoſpites. Vnde quæſo? *Mens.* Ab amoris Philoſophia, hac ad Virtutis & Sophię caſtra faci-

facimus iter. *Frequentia.* Rectè. Moram apud nos faciatis rogo tantisper, donec peregrinationis vestrę susceptı labores, aliqua refecti quiete, subleuentur. *Mens.* Libentissimè tibi hac in re quidem obsequemur. *Frequentia.* Intrate igitur assiduos hortos, & his quę in eis sunt, vt vestris liberè fruamini. *Mens.* Gratias ingentes agimus tibi. *Frequentia.* Nõ mihi, sed ipsi quorum sunt omnia, Deo scilicet. Accumbite, parata sunt ea quibus vos excipere possum. In primis Deum oremus. Alere nos digneris ô Pater Omnipotens benedictione tua. Amen. Cura teipsum ô Corpus interim dum ego Mentem cibauero. Mens audi. Cùm Frequentia sit concepti circa Veritatis amorem perseuerantia, non est alius quàm per assiduitatem ad virtutes aditus. In isto loco nulla requies, hinc fit etiam vt hic torpori nullum ædificium extructum videatur, sed sub dio vigiles colonos horti virtutum expetunt. Videsnè terram hanc? nisi continuò repurgaretur, pro suauitatis floribus & herbis, quæ producit, nil præter carduos & vrticas redderet. Non aliàs de corpore quod circunducis euenier si torpueris. Hoc tibi datum est in coloniam, vt horti diu noctuque mihi commissi fuerunt. Quicquid in eo lolij supercreuerit, auferendum est tibi. Non meliùs illud euincere

cere poteris, quàm vbi crapulam abstuleris: ea nimirum est, quę somnolentiam & pigritiam inducit. Otium quoque tolles, vt vitiorum potissima radix pereat. Nihil præter necessarium corpori concesseris, quicquid superabundabit, excrescet in vitium. Audisti superiùs quid corpori sit necessarium, quid salutare nunc sit audias & tibi. Corpus corrigere si neglexeris, malè tibi propter illud erit & illi, quia tua non illius est ratio, quam abijcit, tibi commissam (vt etiam est) cognitionem Dei putes. Quapropter nec tu propter illud excusaberis, cùm illi Pędagogi loco sis, nec illud propter te, quia priùs è libero seruum se fecit. Vide igitur quî cum hortis agam, duobus modis eos curo, videlicet eradicationis & irrigationis. Priori supercrescentes herbas inutiles radicitùs euello, ne bonas augmento supprimant. Itidem cum tuo corpore facias oportet, malas cogitationes & inimicitias à te reijciens priùs, & sic ab omni malo coërcebis illud opere. Nō decet vnum docere præceptorem, & aliud facere. Si peccandi dederis occasionem Corpori, cur illud reprehenderis quæso? Corpus nihil imaginatur: Animus est qui speculationum tacitas operationes exercet, quas demum Corpus conatur exequi. Conceptio Mentis est, Corporis autem executio. Si lo-

lium

lium euellerem herbam, & interim semen eius in terram spargerem, quid aliud præter idipsum quod corrigerem iterum committerem vltrò? Vide igitur ne Corpori plus quàm valeat adscripseris. Verum est quod ipsum ad prauos conceptus exequendos magis pronum sit, eisque plus quàm bonis millies delectatur. Quapropter mala quęuis abijce cogitata, quorum in locum bona substitue, nil nisi bonum operari poterit, vel ab omni malo desistere. Hæc est vna Corpus vincendi ratio, alteram audi modò. Si hortos meos ab inutilibus duntaxat vindicarem, certè parum aut nihil essem operata, cùm alia longè plus necessaria cura sit eis quæ sata sunt adhibenda: scilicet irrigatio vegetabilium, alimenti pars altera, qua sine vegetare non possunt. Sic etiam aqua viua Corpus irrigabis tuum, quę Dei verbum est, hoc noctu diuque meditare, præter hoc nihil, vt Corpus aliud quàm idipsum nec loqui, nec facere valeat. Vides iam agris vel hortis optimè comparari posse corpora, quod etiam fecisse Christum Seruatorem nostrum in Euãgelio legimus. Bonum semen quod in benè cultiuatam terram cadit, fructũ bonum affert; non secus Dei verbum quod super cor molle ceciderit, Corpus alet eius, cuius nempe cor contritum, & humiliatum fuerit. Certum

tum est à primi lapsus tempore sicuti lapides indurata hominum corda fore, quæ nisi verbo Dei mollificentur, dura manent in æternum. Pharaonis cor à ventre matris (vt omnium corda sunt) durum fuit, at quia verbo Dei mollicatum non fuit, induratum remansit, nec propterea dicendum, quin & durius postea factum fuerit. Deo rebelles & inimici nascimur omnes, talesque manemus, donec eradicetur ex nobis inimicitia per summũ Agricolã, cuius te ministram, ô Mẽs exhibe. Semen habes, agrum & aquam, nil aliud ampliùs deficit, quàm labor assiduus, non interruptus. Nunquam cesses oportet ea reuoluere quæ iam audisti, tum audies, aliàs per intermissionem inimico tuo locum dabis. Hæc sunt quæ tibi dicenda commisit hera Virtus, à cuius Sapiẽtia latiùs doceberis. Ingentes & immortales Deo gratias agimus, qui corda nostra suo lumine dignatus est illustrare, verboque suo reddere molliora. Amen. Fœliciter ito frater, & Virtutem petito. Vale. *Mens Corpus suum alloquitur*. Audistin quidnam Frequentia dixerit? *Corpus*. Audiui quidem. *Mens* Quinam arrident? *Corpus*. Non vsque adeò. *Mens*. Quî sic? *Corpus*. Omnia de me dicta sunt in quem verò finem tendant nescio.

Mens.

Mens. In tuam vtilitatem fœlicitatemque. *Corpus.* Faxit Deus. *Mens.* Dic quæso, scisne post hanc aliam futuram esse vitam? *Corpus.* Scio quidem. *Mens.* Scis etiam post mortem perpetuam esse mortem? *Corpus.* Non ignoro. *Mens.* In hoc mundo viuendum est tibi, ut in æternum uiuere-possis. *Corpus.* Quid aliud facio? *Mens.* Indies moreris magis. *Corpus.* Insanis. *Mens.* Audi, uiuit in hoc mundo, qui mundo moritur, & Christo uiuit. *Corpus.* Quis hoc intelliget? *Mens.* Non audisti in Euangelio, quòd nisi granum frumenti cadens in terram fuerit mortuum, ipsum solum manet. *Corpus.* Quid ad rem? *Mens.* Tu granum illud es quod in terrā cecidit, quia tu nil nisi terra es. *Corpus.* At audiui Frequētiam ad uerbum Dei granum in Euangelio retulisse. *Mens.* Iam audio parum animaduertisse te. *Corpus.* Equidem. *Mens.* Non es bonus Theologus? *Corpus.* Sis tu mihi. *Mens.* Verbum hoc, mortuum fuerit, significationem habet actiuam, si granum frumenti pro uerbo Dei sumptum fuerit, id est mortificauerit, aliàs malè quis interpretabitur, qui uerbū Dei mori posse temerè dicet. Sed optimus uidetur sensus iste. Nisi uerbum Dei cadens in cor hominis illud mortificauerit, & passiuè sic etiam intelligi potest, nisi Corpus & cor hominis quę terra sunt, id est terrena,

per

per verbum Dei cadens in illam terram fuerint mortua vel mortificata, hoc est nisi granum illud receperit, & in vtilitatem, ædificationem vel multiplicationem conuerterit, ipsum solum manet, id est, fructum non adfert. Vel Christianè magis, nisi granum coniunctum sit per vnionem cum corpore mortificato, separata manent ambo sine fructu. *Corpus.* Et tu Theologię facis nasum cereum cum cæteris? *Mens.* Adhuc es rebelle Corpus, ad Virtutem accelerandum esse video. Sed opportunò iam appulimus.

De quinto gradu.

CAPVT SEXTVM.

NOn aliàs quàm assiduo labore habitus omnis acquiritur, frequẽti rerum arduarum vsu, nec non assuefactione reddimur ad molesta quæquæ, vel quantũuis difficilia libenter sustinendum aptissimi, consequimurq; vires, quibus grauia quæuis leuissima fore videntur ob spem rei desideratæ. Quapropter ad hanc Virtutem accelere-mus. *Mens iterum loquitur.* O Sacra iube tuas nobis portas pandere. *Virtus.* Quis es qui nos adire cupis? *Mens.* Duo sumus Philosophiæ tyrunculi. *Virtus.* Quid quæritis? *Mens.*

Virtutem addiſcere. *Virtus*. Iuſtam rem petitis, quæ nullo modo vobis negari debet. Quos antea præceptores habuiſtis? *Mens*. Amorem Philoſophicum, & Frequentiam. *Virtus*. Gaudeo tales initia vobis dediſſe. Quid vos ad hæc ſtudia capeſcenda mouit? *Mens*. Deſiderium cognoſcendæ Veritatis. *Virtus*. Radix eſt & mater omnium quæ Deus inſtituit Veritatis cognitio. Sed in qué finem cupitis eam cognoſcere? *Mens*. Vt eam exercere valeamus. *Virtus*. Erga quem? *Mens*. Deum & proximum. *Virtus*. Bona quidem intentio, cui Deus fœlicem exitum det precor. Quæ ſunt vobis nomina? *Mens*. Mihi Mens, Corpus huic nomen eſt. *Virtus*. A' quo accepiſtis ea? *Mens*. Ab Amore Philoſophico Mens vocata ſum, à vulgo Corpus nomen retinet. *Virtus*. Quid Menti cum Corpore conuenit? *Mens*. Nihil omnino, ſed omnia nobis in controuerſia ſunt. *Virtus*. Quid audio. *Mens*. Mundum ægrè fert Corpus relinquere. *Virtus*. Salutem refugit omne quod mundum ſemel induit, & non niſi maximo labore poteſt ab eo retrahi. Fratres ingredimini, & quod in veſtri gratiam præſtare poſſum, æqui boniq́ue conſulito precor. Corpus accumbe tuis, ventremq́ue tuum cura, Mens à me cibabitur. O Pater cœleſtis qui cunctos reficis, verbo tuo veritatis

in

in vitam æternam alere nos digneris. Ame.
Audi Mens. Rerum Virtus est vniuscuiusque rei Veritas, & Veritas efficacia per signū aut experientiam nota, & efficacia cœlestis influentia. Quicquid ex cœlo nō est, Virtus dici non potest, at eius simulachrum falsum. Depinxerunt olim nobis Virtutes Philosophi, qui Deum ignorarunt, quia filium eius in quo Dei Virtutes omnes patefactæ sunt, non intellexerunt. Solēt etiam recentiores alios imitati, Virtutes in Theologicas, & Æthicas partiri, quo quidem inter doctos vitos absurdius dici nihil potest, quia Virtus omnis est à Deo, ergo Theologica: quæ dicitur Æthica, nisi ex Deo fuerit, nullo modo Virtus erit. Romanorū in hostes fortitudo, pertinacia: magnanimitas, superbia: prudentia, fraus & dolus: abstinentia honoris ambitio, sic de reliquis: vitia potiùs quàm Virtutes fuerunt, quia non ad gloriā Dei, sed hominū patrata sunt facinora. Christiani Philosophi Veritatem solam habēt pro Virtute, quam in fidem, spem, & charitatem diuidūt. Ex his tribus & in his tota consistit Veritas, & quicquid in his non reperitur, falsum est, tamin intellectualib. quā naturalib. Est enim fides eorū certitudo quę audiūtur, hac ratione dictū est fidē ex auditu fore, quia quod videtur, fides nō est, sed scientia certa per oculū

demonſtrata. Eius teſtimonium præbet Scri ptura S. Credidiſti quia vidiſti. Beati qui nõ viderunt & crediderunt. Eſt etiam in rebus naturalibus veritas quędam, quæ non videtur oculis externis, ſed mente ſola percipitur, cuius experiẽtiam fecerunt Philoſophi, eiusque talem eſſe Virtutem compererunt, vt miracula faciat, cùm inſenſata idẽ etiam virtute ſibi cœlitùs contributa præſtare poſſint. In eo tota conſiſtit ars, vt à ſuis compedibus huiuſmodi Spiritus liberetur, non ſecus atque iam dictum eſt, Mentem à ſuo corpore liberam fieri debere. Corpus igitur carcer eſt, quo Virtutes impediuntur Animæ, Spiritusque rerum naturalium ſuas vires vt exerere non poſſunt. Talis & eiuſdem eſt efficaciæ Spiritus huiuſmodi rerum inſenſatarum, pro ſui ſubiecti ratione, qualis eſt in hominibus indubia fides. Eſt igitur hominũ virtus fides vera, cæterorum omnium, eorũ eſt efficaciæ veritas. Exempli gratia, credere nollet inexpertus rerum naturæ Phyſicus, cadauer animalis venenoſi ſiccum & prorſus aridum, infecto veneno vulneri vel apoſtemati peſtifero ſuperpoſitum, virus omne penitus ad ſe trahere, quod Chymiſtis naturæ Virtutum ſcrutatoribus eſt notiſsimũ, & ex vi Magnetica naturæ compertum habent. Cùm igitur tales non credunt id præſtare

poſſe

posse naturam quod potest, indigni virtutibus eius non merentur, ex ipsius naturæ scrinijs arcanum vel minimum assequi. Si etiam experimentum viderint alicuius, non perquirent vlteriùs qua tandem ratione simile quid fiat, sed experimento contenti solùm, vtentur eo: hac in ignorantia maxima pars Physicorum hæret, hoc habet, inquit, à quo non est curiosiùs perscrutandũ. Verùm Chymista Physicus non contentus experimento, nec quòd à cœlo habeat, sed à qua parte cæli perquirit Anatomiam creaturæ magnæ, cum ea quæ de Microcosmo fieri debet comparationem faciẽs. Quod quidem quatuor modis & instrumentis efficere nititur, vtpote Geomantia, Hydromãtia, Pyromantia, & Astronomia Chymicis, non auguralibus. Geomantia terrarum in rebus naturalibus, aquarum Hydromantia, igniũ Pyromantia, cœlestiumque Virtutum Astronomia nostræ sunt inquisitiones, quas Artifex amore Philosophico percitus libenter aggreditur, spe fretus (qua etiam alitur) ad eam rei peruenire se posse veritatem, de qua sibi spes est insita. Patet igitur spem fidei stimulum esse, vel futuræ certitudo veritatis. Nisi quis certò sciat acquisiturum se quod prosequitur, friget in eo conatus, at vbi fide suam opinionem confirmauerit, Frequentia

nimirum adiutus & ingenio, nihil non assequitur. Verùm hoc loco fidem per charitatẽ comprobari non est ignorandum, sicut etiã per bonum aut malum mota, benè vel malè potest operari. Est igitur charitas actu bona fides exequuta. Quis de vera fide iudicare poterit aliàs, quàm docuit is qui vera fides est, ab operibus eam esse cognoscẽdam. Nõnulli rem intelligentes à seipsa dixerunt incipiendam esse charitatem, quod sic intelligo. Hominem oportet Christianum, per Frequentiam sibi Virtutis habitum & charitatis contrahere priùs, antequàm in alios exercere valeat actu. Disce Mens igitur in propriũ Corpus exercere Veritatem & charitatem, vanos eius appetitus coërcendo, sic ad omnia tecum promptum erit, quod vt fiat operam dabo, de fonte Virtutis vnà tecum bibat, & ambo tunc vnum facti, pacem habebitis in vnione. Corpus accede ad fontem hũc vt cum tua Mente bibas ad satietatem, & in posterum non sitias ampliùs vanitates. O admiranda fontis efficacia, quæ de duobus vnum, & pacem inter inimicos facit. Potest amoris fons de Spiritu & Anima facere Mẽtem, sed hîc de Mente & Corpore virum vnum efficit. Gratias agimus tibi Pater, quòd filios tuos inexhausti Virtutum fontis tui participes facere dignatus sis. Amen. I nunc

vir

vir prudens factus ad Potentiam, à qua constantiam addisces, & fœliciter. Vale.

De sexto gradu.

CAPVT SEPTIMVM.

QVicunque viribus destituti sunt, nedum imbecilles existimandi, verùm etiam ad ardua prorsus inualidi. Pariter & qui Virtutem assequuti sunt, nisi hãc exerceãt absq; intermissione (sicuti supra de Frequentia dictum est) indigni sunt ad Potẽtiam acquirendam, qua resistere valeant aduersis. Nam qui diffatigantur laborib. in hoc toto prælio Philosophico sustinẽdis, adhuc sunt impotentes. Est igitur vt Potentiã istã adeam. *Vir iam factus homo Potentiam alloquitur.* Aperi quæso diua Potentia mihi. *Potentia.* Quis huc introduci vult? *vir.* Homo Vir factus. *Potentia.* Vnde huc prodis? *vir.* A' Virtute missus sum. *Potentia.* Cuius gratia? *vir.* Confirmationis in Virtutibus, quas à ministra Veritatis accepi. *Potentia.* Rectè, sed qua ratione id fieri posse credis? *vir.* Potẽtia quidem. *Potentia.* Cuius tandem? *vir.* Veritatis. *Potentia.* In quo Veritatem esse putas? *vir.* In Altissimi solius Virtute sitam esse Veritatem omnem minimè dubito. *Potentia.* Iã

confirmatione dignum exhibuisti te, qua propter animaduerte ad ea quę tibi sum expositura. Potentia est acceptę Virtutis à Domino constantia. Non est quod quispiam putet se vel minimam Virtutis scintillam aliũde quàm à Deo habere posse. Quod si quis à seipso vel ab alio quàm dictum est, quærat, loco Virtutis vitium in sui perniciem consequetur. Soliti sunt ita Gentiles olim operibus heroicis (vt vocarunt) Virtutes non alia de causa venari, quàm vt posteritati famam de se relinquerent, in ea summum bonum & fœlicitatem sibi miserè ponentes. Verùm quinã eis succesſerit, huiusmodi memorabilium exitus apertè nos docuit. Regnum eorum quod in arena fundatum esset, non supra petram, ruere fuit necesse, cuius ruinæ quidem non maius vestigium relinquitur, quàm vt posteris horum stultitia pateat, vt Romę, nec non in plurimis alijs locis. Super Veritatis petram si Gentiles ædificassent, stabile fuisset regnum eorum. Non sunt hominum sequenda vestigia, sed Veritatis, in qua stabilia sunt omnia. Meliùs non poteris confirmari frater, quam per Virtutem ipsam, quę nihil est aliud (vt suprà dixi) quàm Veritas. Hanc si in omnibus operibus tuis & verbis obseruare totis viribus conatus fueris, ipsa te confirmabit indies magis, donec in præ-

lio po-

lio potens factus, vt leo, mundi vires omnes euincere valeas, mortem non timeas, nec etiam quicquid diabolica tyrannis excogitare posit violentiæ. Vt aurum purum in igne semper purius & glorioſius absq; diminutione diutiſsimè iubilat, non aliàs in omni martyrio profeſſores Veritatis confirmati gaudent, vt infrà latiùs audies. At hoc eſt notatu dignum, quòd non aliàs quàm ex Frequentia quorumuis operum & artium habitus acquiritur & promptitudo: ſic etiam ex obſeruatione ſedula Veritatis tam in factis quàm in dictis, conſtantia Virtutum cœlitùs infunditur ad Potentiam, quæ tandem obſeruatione non intermiſſa tranſit in miraculum: ad quod nunc anhelandum eſt tibi, hac iter facito. Vale.

De ſeptimo gradu.

CAPVT OCTAVVM.

NEceſſarium eſt Philoſopho, qui mirādorum artifex eſſe cupit, vt quaſuis aduerſitates, mundiq́ue moleſtias conténat, aliàs fruſtranei conatus eius erũt. Videamus igitur quînam id quandoq; factum ſit. Miraculum eſt conſtantiæ Veritatis effectus, in cuius declarationem vnico tantùm vtemur

exemplo quo patebit apertè miraculum Philosophicum. Abderita quidam Philosophus Democriti sectator, Anaxarchus nomine, correptus ab inimico suo Nicocreonte Cypri Tyráno, propter Veritatis professionem hoc martyrio fuit exceptus. In excisso lapide viuus pistillo malleone dum contunderetur ferreo, viriliter ait. Tũ de Tyranne, tunde corpusculum hoc Anaxarchi, Mentem eius, aut Anaxarchũ ipsum nõ tundis. Quod cùm Tyrannum pessimè haberet, ne Veritatem loqueretur ampliùs, quam audire non poterat, tortori commisit, vt linguam truncaret Philosopho: verùm proprijs dentibus abscissam & masticatam in Tyranni patens os expuit, antequam eius corpus in Pultes contusum foret. O admiranda viri constantia, quæ tanto non perterrita martyrio, sed mortem summo cum gaudio sustinens, mundi Tyrannidem vicit.

Expositio quædam eorum quæ de gradibus Philosophicis iam dicta sunt.

CAPVT NONVM.

Ista Philosophia pauciſsimis hactenus cognita fuit, ob difficultatem eorũ quæ scripta fuerunt obscuriùs ab alijs & ænigmaticis

ticis vmbris inuoluta. Verùm quòd abſconſos nemini prodeſſe theſauros inuitè ſatis ferrem, facere non potui, quin pro viribus doctis dignisq; viris, partem eius facerem, quod Omnipotens, Miſericors & Iuſtus Dominus Deus dare voluit, non vt mihi ſoli ſeruarem, ſed & alijs communicarem pro liberalitate qua nos ipſe reſpicit indies, ac proſequitur. Hinc euenit, vt non contentus ea declaratione quam propoſui, iam & aliam in ſtudioſorum gratiam addere non pigeat. Quapropter æquo recipite, quo vobis etiam offertur, animo fratres. Mens vt etiam fides eſt verè donum Dei gratuitum, ſic & Virtutes omnes. Hinc non ſequitur (vt aliqui putant) ad eas acquirendas non eſſe laborandum, quia Deus ignauos & ſegnes non exaudit, imò potiùs eorum orationes tanquam blaſphemias reijcit. Magna certè foret hominum inſania, panem à Deo ſi peterent, arare quidem & ſerere nolient. Non minor eſt deſiderare Mentem, & expectare, nulla prorſus ad eam acquirendam adhibita cura vel diligentia. Maxima verò veſania ſi quis tam ignarus foret, vt labore ſolo, gratia Dei non implorata, priùs hanc acquiri poſſe putaret. Benedictione ſua Deus diligentes replet, quum ſalutaria petunt, negligentes verò non

exaudit

exaudit etiam si petant. Petere verè dicitur quis non solùm ore, sed corde, vel cum affectu quid quum exigit. Quapropter implorationis auxilij diuini primùm admonẽdos huius Philosophiæ recentes discipulos fore iudicaui, deinceps accuratissimæ diligentię in disponendo seipsos ad huiusmodi gratiã recipiendam. De hac dispositione solùm tractatus iste differit, gratia verò petẽda est desuper à datore luminum O. M. D. Nec putet quispiam suprà me diffiniuisse Mentem, nõ magis quàm Paulus eisdem verbis fidem, quam à Deo solo petendam esse docet, non à proprijs viribus nec aliũde. Et quia huius artificiatæ dispositionis tres sunt potissimæ partes, vtpote Physica, Moralis & Metaphysica, necessarium fuit qualibet hac in tractatione progredi, quod legentibus, riteq; perpendentibus apertè liquet. Impossibile est malæ vitæ hominem possidere thesaurum sapientiæ filijs reconditum, & malè fanum ad illum inquirendum, quantò minùs ad inueniendum aptum esse. Hæc est ratio quare de Moralibus & Physicis corruptis, per Metaphysica medicamina corrigendis loquamur. In corpore humano, latet quædã substantia Metaphysica pauciſsimis nota, quæ nullo penitus indiget medicamento, sed ipsa medicamentum est incorruptum: verùm

verùm quia Physicorum corporum corruptionibus obruitur & impeditur, quò minùs perficiendi suas actiones exerceat, Philosophi diuino quodam afflatu cognouerunt hanc virtutem, cœlestemque vigorem à suis compedibus liberari posse, non contrario veluti Physica docet, at simili. Cum itaq; tale quid siue in homine siue extra ipsum inueniatur, quod huic est cõforme substantiæ, concluserunt Sapiẽtes, similia similibus esse corroboranda, pace potiùs quàm bello, vel contrarijs esse pellenda contraria. Patet ex his triplicem labilium esse Medicinam: videlicet Metaphysicam, Physicam atq; Moralem. Ad Physici corporis dispositionem artificiatã, vtimur Metaphysico remedio, quo corruptionem eius ad naturalem digestionem & expulsionem arceamus: hoc operante natura per formam intrinsecus roboratã. Hæc est præparatio corporis nostri Physici, Metaphysico modo facta, per quam ad separationem faciliùs peruenitur absq; corrumpentium impedimento. Colliget inde studiosus lector, à Metaphysica per Alchymiam ad Physicam debere fieri transitum, operando Philosophicè. Quid artes in Vniuersitatibus audiuisse, vel priuatim legisse, nisi de Potentia deducantur in actum, quàm Psittaco suum cheyre magis prodest? certè nihil, quia

omnis

omnis ſcientia quæ non probatur experientia, non eſt ars, at hærens ignorantia. Nũc ad ſeparationem voluntariam progrediamur, quæ morali Philoſophia perficitur. Completa corporis pręparatione facilè ſeparabitur à reliquis partibus, quũ eidem quicquid præter Philoſophicam neceſsitatem appetierit, ab Anima ſuaſu quidem Animi vel Spiritus denegatũ fuerit: quid Philoſophica ſit neceſsitas, dictum eſt antea. Reſultat ex ſeparatione hac vnio prior Animi cum Anima ſcilicet per ſtudiũ Philoſophiæ moralis cõtinuatũ. Erant hæc ſtudioſis repetenda, quò faciliùs intelligerent qua ratione Metaphyſica Phyſicis & Moralib. hic miſcuerim, & quãdo Moralia Metaphyſicis, & hęc illis cõparãda ſunt ac Phyſicis, ne fortè ſub labyrintho introitũ ad rẽ capeſcendam videar lectorib. præſtruxiſſe. Philoſophi ſtudiũ ſuũ in inquiſitione Veritatis, per opiniones rationi conſonas, dirigunt in his quæ ſenſum fugiũt. Chymiſtarũ verò ſtudiũ eſt in ſenſualib. non ſenſualẽ illã Veritatẽ à ſuis compedibns liberare poſſe, per quã cœleſtes Virtutes admodũ ſubtili venẽtur ingenio. Quicũq; Chymiſticã artẽ addiſcere vult, non Philoſophiam illã ſophiſticã & ſcholaſticam, ſed eã quæ Veritatẽ doceet addiſcat oportet. Veritas enim in arte Chymiſtica per Manualẽ practicam & Pyromantiam

mantiam ſeparatione partium à ſuo toto facta quæritur, quod ſtudium Alchymiſtarum eſt. Non eſt quod quiſpiam putet me hîc Theologica tractare velle, quia de Spe, Fide, Charitate, Pace, Miſericordia, Iuſtitia, necnõ alijs diſſeram, ſed talia quæ ruſticum & pueros latere non debent, ex quibus altiùs quã litera ſonat repetitis, omnem ſcientiã & artẽ in omnib. tam cœleſtibus quã prophanis rebus, hauriũt Sapientiæ filij. Fruſtra laboratis omnes abditorũ naturæ ſecretorũ indagatores, quũ aliam ingreſſi viã quàm decet, vires virtutesq; terrenorũ per terrena detegere conamini. Diſcite igitur cœlũ per cœlũ, & non per terrã, ſed huius per illius Virtutes cognoſcere. Nemo enim aſcẽdit in cœlũ quod quęritis, niſi qui de cœlo quod non quæritis illuminet eum. Incorruptibilem quæritis Medicinam, quæ corpora nedum à corruptione tranſmutet in verum temperamentum, ſed etiam temperata diutiſsimè conſeruet, alibi talem quàm in cœlo reperire non poteritis vnquã. Cœlum Virtute ſua, per inuiſibiles radios, in terræ centiũ vndiq; cõcurrẽtes, omnia penetrat elementa, & elemẽtata, generat fouetq;. Fœtus etiã vtriuſq; parẽtis naturam in ſe retinet, vt in eo parens vtercq; potẽtia & actu ſit reperibilis. Quis hærebit adhuc niſi lapis in generatiõe Philoſophicæ.

Si

Si declaratio hæc adhuc tibi non ſuffecerit, cum illis quæ ſuprà datæ ſunt, non eſt amice lector, quod tecum agam latiùs. Verùm ne tibi de me conquerendi maneat anſa, dicam vlteriùs. Diſce ex teipſo quicquid eſt in cœlo & in terra cognoſcere, vt ſapiens fias in omnibus. Ignoras cœlum & terram priùs vnũ fuiſſe, diuino quoque artificio ſeparata quo te & omnia generare poſſent? ſi hoc noſti reliquum te fugere non poteſt, aut ingenio cares omni. Rurſus in omni generatione ſeparatio talis eſt neceſſaria, qualem de te ſuprà dixi fiendam, antequàm ad veræ Philoſophiæ ſtudia velum applices. Ex alijs nunquã vnum facies quod quæris, niſi priùs ex teipſo fiat vnum quod audiſti, latiusq; audies in ſequentibus. Nam talis eſt voluntas Dei, vt pij pium conſequantur opus quod quærunt, & perfecti perficiant illud, cui fuerint intenti. Malæ voluntatis hominibus, nihil niſi malum quod ſeminauerint metere datur: imò quod maius eſt, perſæpe bonũ eorũ ſemen in lolium propter ſerentis malitiam conuertitur. Fac igitur vt talis euadas, quale tuum eſſe vis quod quæſieris opus. Scito frater omnia quæ dicta ſunt, & in poſterum dicentur, intelligi poſſe de præparationibus Alchymicis. Non alias enim quàm partium hominis per ſpeculatiuam Philoſophiã, ſeparatio-

parationem fieri diximus, de reliquorum corporum ſeparationibus igne factis intelligendum eſt. Et niſi talis fiat ſeparatio, fruſtra laborant Alchymiſtæ Medicinam vniuerſalem quærentes, quæ poſsit omnibus indifferenter mederi morbis. Conſiderãda ſunt omnia diligentiſsimè, quæ de homine dicta ſunt in præcedentibus: nam vnicum non eſt verbulum, quod ad artem referri Chymicam non poſsit, & in eius declarationem nõ faciat. Eſt enim talis amor, inter inſenſatorũ partes, & inimicitia, qualis in partibus hominis. Verùm in illis nõ magis quã in iſtis vnio vera fieri poteſt, corruptione dictarum partium non ablata priùs ante coniunctionem. Quapropter pacem inter inimicos, eſt quod facias, vt amici conueniant in vnum. In omnibus corporibus imperfectis, & ab vltimatã ſua perfectione deficientibus, ſunt amicitia & inimicitia ſimul innatæ, hęc ſi tollatur hominis ingenio vel induſtria, neceſſe eſt alterã ad vltimatã ſuam perfectionem deuenire per artem, quam in hominis vnione declarauimus. Separa per ignẽ igitur ab vnoquoque corpore partes ſuas, impuras mundifica, quæ puræ ſunt mundatione nõ indigent. Puris pura miſce, leuioribus tamẽ grauiora ſublimato priùs, ita fiet quod ſuprà dictum eſt, fixum volatile, corporeum quo-

que ſpirituale. Hactenus Alchymiæ Phyſicæ comparationem tetigimus, quare ſuperſedē dum erit hîc tantiſper, donec ea quę reliqua ſunt in Alchymia Metaphyſica proſequuti fuerimus. Erit hoc loco tamen admonēdus lector, vt ea quæ dicta ſunt intelligat ex cō-paratione diſcreta, vel aliàs ipſum confundi neceſſum eſt, quare differentiam eorum circa quæ dubitare poſſet ponere non pigebit. Quoties inſenſatorum feci mentionem, de vegetabilibus & minerabilibus intelligi cupio, quæ licet animam ſuam habeant vegetabilem & mineralem, ad ſenſibilium tamē differentiam id faciendum eſt. Alchymiſtis contradicere nolo, qui cunctis Corporibus naturalibus Spiritum, Animam, & Corpus modo ſuo tribuunt, quod etiam negantibus ad oculum demonſtrare poſſunt, quoties opus fuerit. Item pro brutis vel irrationalibus ſenſitiua pono, per quæ rationalia non intelligo, quę licet Animam ſenſitiuam cum rationali habeant, potiorem vtpote rationalem in eorum ſignificatione capio. Demum circa prædicta non ignorandum eſt ſeparationem rationalium eſſe duplicem, vtpote voluntariam, de qua ſuprà loquuti ſumus, & naturalem quæ ad Chymiſtas non pertinet: ſenſatorū etiam duplicem, vt naturalē & artificiatam, quæ poſterior Chymiā cōcernit.

Volun-

Voluntaria ſeparatio fit partibus in toto manentibus: naturalis & artificiata non. Inſtrumẽtum ſeparationis voluntariæ Spiritus eſt, & ſpiraculum Vitæ: naturalis mors, & ignis artificiatæ. Nihil obſtabit iam quin rationalium Alchymiam, illi quæ de ſenſibilibus & non ſenſatis fieri poteſt æquiparare valeas. Quod verò hoc poſteriore tractatu rationalium Alchymiam præpoſuerim, non fruſtra factum putes, quia hac & naturali non intellectis, artificialem neceſſariò te continget ignorare. Sed ne tibi videar in Alchymia naturali defeciſſe, de hac nunc tantùm audies, quantum ad reliquorum intelligentiam, tibi ſufficiat, cætera priori parte, prioriq́ue tractatu ſatis abundè ſcripta ſunt: à ſeparatione faciam exordium. Scis hominem peracto ſibi à natura conſtituto vitæ caducæ termino, ſuas in partes reſolui, quas ſuprà Spiritum, Animam, & Corpus eſſe diximus, hoc operante mortis corruptione, per ignis naturalis extinctionem. Humore deficiente radicali recedunt Spiritus & Anima relicto Corpore, quod iterum in ſuas elementares per putrefactionem in terra factam ſeparatur: quodlibet elementum ad ſuum chaos redit, terreum, terra deuorat, aqueum aqua, ſic de reliquis. Spiritus & Anima redeunt

vnde proceſſerant, non vt à corpore ſemper ſeparata ſint, ſed vt meliori compoſitione iungantur in vnum artificio diuino, poſt quam vnionem non ſeparantur ampliùs. Hæc eſt vnionis maxima Virtus inſeparabilis, & partium in vnionem compactio, cui ſe conformare debet ea quam ante mortẽ fieri poſſe docuimus. Rurſus niſi animalium eleméta corporũ elementis nutriantur, Spiritum nec Animam retinere non poſſunt. Cibus & potus in ſtomachum proiecti coquũtur in digeſtionem (aliàs partium ſeparatio naturalis fieri non poteſt, quàm per corruptionem, aut putrefactionem) & artificio naturæ purum ab impuro ſeparatur, vt puriori ſubſtantia cibi potusque, terræ, aquæ, aëris & ignis, humani corporis terra, aqua, aër & ignis alátur, impuriore materia ciborum & potuum huiuſmodi ſuis emunctorijs eiecta, quæ craſſæ materiæ rurſum pars quælibet, ſuum (vt ſuprà diximus) chaos petit. Ignis in homine eſt elementum vorax, reliqua puriora conſumens elementa, niſi purioribus exteriorum reficiantur elementis: quapropter neceſſarium eſt alimentum, aliàs ipſum ſe, cum reliquis abſumit, quo recedente locus Animæ non relinquitur in corpore nec Spiritui. Talis ignis eſt ignis, & aliorum elementorum vnio ſeu Anima, ſine qua nulla compo-

componuntur elementa sed seperantur. In elementis igitur amor est Philosophicus, hunc amplectere solùm, si Physicus, vel naturalis Philosophus esse cupis, aliàs non Physicus, at naturæ vastator potiùs euades. Vt verus ergo naturæ scrutator fieri possis, ad assiduum opus à speculatione mox te conferas oportet. Nam impossibile est Artificem aliquem in arte sua promptum idoneumque fieri, nisi per frequentiam & assiduitatem operis habitum sibi cõtrahat. Quid pistori pistorem operantem sæpiùs ac sæpissimè vidisse profuisset, nisi manum in pastam ipse mittens toties id repetijsset, donec iam habituatus pistor factus, alium docere valeret? Quod quibusdam artem Chymicam addiscere cupientibus euenire solet, vt putent eam lectura tantùm assequi posse, vel paucis admodum operationib. quæ tamen inter omnes artes quas Deus & natura dedit vnquam difficillima plurimisq; nota minùs existit. Herculeus certè labor est, mentem, corpus & ætatem hominum superans, nisi Myriadum inter centena millia millies, vix datum sit vni vincere, hoc est perfectũ scopum artis attingere. Possunt verò nonnulli naturæ multa secreta vel arcana summo studio laboreq; detegere, quę faciunt ad rem Medicam, plus quàm alia quæuis olim extra dictam artem

inuenta. Sed vniuerſalem illam reperire Medicinam, de qua ſæpenumerò diximus, pauciſsimis hactenus contigit: ſolùm his qui ſeſe Dei miſerentis gratia priùs in idipſum quod optant reducere potuerunt, hoc eſt, qui corpora ſua repurgarunt ab immũditia, naturalium etiam corporum nubes abſtulerũt. Suadeo quibuſuis artis huius inueſtigatoribus, vt aſsiduò Deum orent, ac operentur, fieri minimè poterit quin aſſequãtur id quod in Ieſu nomine petierint à Datore luminum. Sed primò conſiderent quid ſit petere Patrem in Filio: non aliud eſt certè quã id ſolùm exigere, quod ſit ad gloriam Dei Patris & Filij. Solent multi quod eis vtile videtur optare, ſed non niſi quod verè vtile eſt à Deo conſequuntur. Breuibus hoc dico, Diligentes & frequentes Deus conatus adiuuat, deſpicitque negligentes. Diligamus itaque bonum, vt malum non appetamus. Animaduerte igitur ad ea quæ latiùs explicaturus ſum. Cuique rei ſua Virtus ineſt, & cœleſtis influentia, quæ tamen externis oculis minimè videri poteſt, ſed eius effectus tantùm. Videmus attractionem ferri factã à Magnete, vim verò Magneticam in ipſo lapide latentem videre non poſſumus, quia Spiritus eſt, & ſub ſenſum non cadit, ſic de alijs.

Vinum

Vinum in se diuersas vires etiam habet, quæ per experimentum artis Chymicæ cognitæ primùm fuerunt à Philosophis in eius separatione. Spiritus eius calefacit & exsiccat, hîc latet in aqua illa quam ardentem vocãt. Corpus eius occultam in se contrariam potestatem habet, humectandi nempe cum refrigerio, cuius experientiam in aceto videre licet, ac in phlegmate post separationem ardentis aquæ relicto. Facultates istæ sunt omnino contrariæ propter separationem, at ante non ita diuersæ, quia tunc de mixtione per vnionem naturalem plus participant in omnibus alijs Corporibus naturalibus tales inesse Virtutes iuxta magis & minùs, quis nisi Mente captus ibit inficias? Non erit Philosophus quicunque negauerit panem vel frumentum habere Spiritum in se non minùs efficacem quàm sit vini Spiritus, licet non sit in pane tam abundans ac in vino, tamen pro pari sui quantitate æquè efficax. Si talis potest à pane vinoque separari Spiritus artificialiter, quantò magis naturaliter eius fit in homine separatio. Possunt ex istis Philosophicæ transmutationes intelligi. Nonne scimus panis & vini puriorem substantiam in carnẽ & sanguinem transmutari, deq; vegetabili

forma non visibili formam visibilem & animalem fieri? Non propterea mutantur species rerum, sed formæ. Quis adhuc dubitabit, Philosophicas transmutationes fieri posse per artem in homine longè meliores, quá faciat ipsa natura per panis & vini transformationem, cùm alia pleraque sint in rerum natura corpora, quæ maiorem virtutem naturalem, & cœlestem influentiam habent, à quibus non aliàs quàm à pane & vino separari spiritus, & in hominis substantiam, carnem & sanguinem transmutari transformariqúe potest, & excellentiùs quàm à natura fieri valeat. Sed cur ea sæpiùs repetam quæ luce clariora sunt Philosophis? qui fidem adhibere noluerit experiatur arte Chymistica, quam si ignorauerit, addiscat priusquàm experiatur: nam si per communem artem destillatoriam talia facere conabitur, oleum & operá perdet. Nemo pro suo commodo cogendus est, sed admonendus tantùm, quòd si contemnat, proprio, non admonentis damno fecerit. Licet etiam à Corporibus naturalibus sensatis & non, Virtutes vti suprà dictum est, extraxerit: nisi tamen vlteriùs per artem Chymicam deducantur ad extremam suam potentiam, ad aliquod excellens opus non erunt idoneæ, sed quantò magis depurantur & subtiliantur per sedulam obser-

uatio-

nationem artis, ad ſuam primam cœleſtem influentiam proximiùs accedunt, & per cõ ſequens efficaciùs penetrant ac operantur, ita vt pro miraculo verè ſit reputandum opus, quod in medendis quibuſuis infirmitatibus efficiunt. Concludens igitur dico. Si cuti ſeptem gradus Philoſophici, per quos ad ſublimia menti patet aditus, ſeptem ſunt etiam operationes Chymicæ, per quas Artifex ad arcanum illud Medicinæ præſtantiſſimum peruenire poteſt. Studio Philoſophorum comparatur Putrefactio Chymiſtarum: quia velut Philoſophi per ſtudium ad cognitionem diſponuntur, ita res naturales per putrefactionem ad ſolutionem. Cui comparatur Cognitio Philoſophica: nam vti per ſolutionem corpora ſoluuntur, ita per Cognitionem reſoluuntur Philoſophorum dubia. Non aliàs quàm ex Amore Philoſophico ſtudiorum frequentatio ſequitur, ex congelatione Chymiſtarum vnio prior fit per aſsiduitatem, & operationum iterationes. Prout etiam Frequentia Philoſophorum acuuntur ingenia, per frequentem ablutionẽ Chymicam ſubtiliátur corporum partes. Eo modo quo per Virtutem vniuntur Philoſophi, per compoſitionem elementa per minima componuntur in vnum elementum. Per Potentiam, Philoſophicæ Virtutes confirman-

tur, ita per fixionem Spiritus in ſuis corporibus figuntur, vt non ampliùs fugiant. Non ſecus ac per miraculum opera Philoſophica ſuam Virtutem oſtendunt, ſic etiam per proiectionem Chymiſticæ Medicinæ ſuam perfectionem patefaciunt. Iam habes optimè lector operis noſtri totam intentionem, ex qua niſi profeceris tam in vera Philoſophia Metaphyſica, quàm naturali & Chymica, non eſt quod de me conqueraris, quia quicquid ab alijs obſcuratum fuit, apertiſsimè tibi declaraui. Fœliciter vale, boniq; qualecunque ſit conſule.

APPEN.

APPENDICVLA TINCTVRARVM PHILOsophicarum, ex Theophrasti Paracelsi scriptis Germanicis in Latinum sermonem obiter versarum, & ad compendiolum per eundem Authorem reductarum.

PRAEFATIO.

NISI me Philosophicus amor studiosos erga detineret, admoneretq; Theophrasti Paracelsi Præceptoris nostri tincturas Philosophicas addere, quibus curæ tàm intrinsecus quàm extrinsecus per sanguinis renouatione fieri possunt, huic negotio finem imponerem. At quia sunt omniũ simpliciſsimæ potiſsimæq; per Chymicam artem tractæ Medicinæ, quarum in præcedentibus mentionem feci, præterire minimè debui præparationis modum earum vnà cum administrationib. Ex dicti igitur Paracelsi libris Germanicis ad Latinũ cõperdiũ in studiosorũ vtilitatẽ hac de causa volui reduce-

reducere, quò faciliùs intelligant ea quæ de Philoſophicis medicamẽtis antea diximus.

De tinctura Philoſophica Solis, id eſt, Auri.

EXtracta tinctura Solis, corpus eius remanet album, tinctura verò pura eſt, & ſeparatur ab impuro, hoc eſt à ſuo corpore, quæ ſeparatio neceſſaria eſt. Tinctura debet clarificari vel exaltari in ſuo gradu, qui duplatur quinquies in bis xxiiij. altiùs nõ progreditur: tunc poteſt adminiſtrari quibuſuis ad renouationem ſanguinis in priſtinum ſtatum, vt in adminiſtratione dicetur. Corpus corrumpendum eſt, ex ſua natura metallica malleationeque, per aquam Salis. Demũ reſidentia debet ablui per aquam dulcẽ. Poſtmodum extrahitur tinctura per Spiritum vini. Poſtremò eleuatur à tinctura, tunc manet in fundo. Fit aqua Salis ex Sale quod mũdiſſimum & albiſsimum ex ſua natura ſit, abſq; decoctione vel artificiali præparatione quibus Sal fieri ſolet. Liquefiat aliquot vicibus, deinceps pulueratum ſucco radicũ Raphani commiſceatur, & agitetur in eo: tum deſtilletur poſt ſuam ſolutionem, & cum ſanguinea viridi partibus æqualibus mixta deſtillentur omnia quinquies, & in eo liquore lamina Solis per Antimonium purgati ſoluitur

uitur in puluerem. Abluatur aqua pura destillata subtiliter, donec salsedo recedat: nã Sal ablui se permittit, nec miscetur in profũdo cum substantia, sed facilè separatur. Spiritus vini fit hoc modo. Vini optimi puri nõ mixti, rubei vel albi mensuram vnam in circulatorium vas ore lutatum obstructumque recondito, & in balneo Maris ad profunditatẽ vini mersum per decem dies naturales bullire facito. Demum infrigidatum destilletur in cucurbita vel phiala frigidè, tam diu donec Spiritus ascendit. Quum verò signũ suum dederit, cessabis mox: nã quod sequitur est aqua Vitę non Spiritus. Hunc vini Spiritum infunde super ipsam residẽtiam, quæ est velut Alcool, vt sex digitis supernatet, obstructumque vas ponatur in balneum calidum, in quo maneat per mensem, tunc in Spiritum ascendet Solis tinctura manebitq; puluis albus in fundo vasis: quæ quidẽ separãda sunt. Liquefac puluerem, & fiet ex eo aqua Metallica. Spiritũ euaporare permitte vt artis est, manebit in fundo succus, vt liquor, quem graduabis quinquies in retorta pro liquoris quantitate magna. Talis graduatio fit solummodo per eleuationẽ, quæ materiam subtiliat, sed non permittit vltra quintã essentiam subtiliari se, hoc est. 2. 4. 0. aliàs comburitur vlteriùs procedendo.

Huius

Huius drachmam vnam cum vncia vna theriacæ Venetæ mixtam, ieiuno stomacho dabis qualibet vice tamen scrupulum vnum. Postea cooperiatur in lecto patiens, & sudet: continueturidipsum 10. vel 12. diebus.

De tinctura Coraly, uel Coralli.

EStetiam in Coralio tinctura perquàm excellens, ad purgandum sanguinem. Corpus eius teratur subtiliter in Alcool, & extrahatur eius tinctura sicut ex auro per Spiritum vini; simulque decies & sexies ascendant, postmodum separentur per destillationem. Ascensio fieri debet igne prorsus nudo, tandem in balneo Mariæ liquor separari sexies, & iterum super feces proijci. Hoc oleum administretur cum aqua theriacali, ne pe scrupulus vnus eius cũ illius aquæ drachma vna. Fit aqua theriacalis ex vncijs quinque Spiritus vini, theriacæ duabus vncijs cũ dimidia, Myrrhæ Romanæ vncia vna drachmisq; duab. Croci Orientalis drachmis duabus. Misceátur omnia destillenturq; simul & semel, &c. Dosis administrationis est, vt eius vncia, drachmæq; duæ, cum decem vncijs aquæ Cichorij, vel Gamandreæ misceantur, & eius mixti drachmę duæ dentur manè seroq;. Ieiunet postmodum æger quinq; post

sumptio-

ſumptionem horis, totidemque ſumat ante cœnam. Continuetur hoc ſex aut ſepté diebus. Dentur etiam aquæ deſtillatæ ex fumo terræ, Cichorij, ſimilibusque.

De tinctura Balſami.

ACcipe Balſami vnciam ſemis, & Spiritus vini vncias viginti, ponãtur ſimul in pellicanum, vel in duplex vas, & circulentur in Sole per menſem, quo facto permittit ſe deſtillari cum Spiritu vini ſimul per Alẽbicum, quæ deſtillatio melior eſt hoc loco, quàm per retortam. Hæc mixtura manet ſimul in vna compoſitione, cui rurſus addes vnciam ſemis alterius Balſami recentis, clauſoque vaſe digeri permittas, vt cũ alijs permiſceri queat, perficiaturque id quod exit à ſuo corpore: nam quicquid graduari debet ſuam ſubſtantiam in vnum corpus terminet oportet. Quumque hoc vt ſuprà volatile factum fuerit, addatur iterum vncia ſemis alterius Balſami, quod exaltabis vt priùs, vſque ad duas vncias addendo, graduandoque. Hæc eſt Balſami præparatio potiſſima, quæ renouat curatque hoc omne, quod aliæ præparationes non poſſunt: conſeruationis gratia ſuæ Virtutem hanc cœlitùs acquiſiuit ſuprà cætera quæquæ medicamẽta.

Doſis

Dosis eius est in administratione, quòd ex eo per se præparato balsamo detur ad pondus quinque granorum hordei, cum albo veteriqúe vino bis in die, tam diu donec visum fuerit sanguinem emendatum esse.

De tinctura Antimonij.

COmpertum est in hoc mundo, nil aurum purgare meliùs quàm Antimonium, quapropter & in homine, si præparetur in potum, idem præstare poterit ac meliùs. Nec est quod mirentur literati, nostrum Præceptorem hanc facere comparationem. Discant priùs Anatomiam creaturæ magnæ & primę cum vltima cõgrua comparatione facta cognoscere, tum demum iudicét. Veluti Sol inter Planetas, Stellas & omnia quæ in Sphæris existunt cœlestibus, sic etiã aurum inter metalla & alia quæuis insensata partis inferioris corpora: nec aliàs inter sensibilia primatum obtinet homo, cuius perfectionis causa metaphysicè conueniunt hæc omnia simul in vnum. Sicut igitur Antimonium aurum penitùs mundat, aliaque metalla consumit, sic hominem ea ratione, quam adduximus repurgat absque exoneratione alui, sed radicali purgatione, qua spiritualiter omne superfluum eradicat. Hoc est excellentissimum

mum arcanum, cuius ſtructura talis eſt. Accipe Antimonij optimi in Alcool reducti, quod reuerberabis in reuerberatorio benè clauſo per menſem, ex eo fiet volatile primò album, deinde flauum, poſtremò rubeum aut croceum leue: hoc extrahes de eſſe ſuo ex lilli per Spiritum vini, ſic vt digitis viginti ſupernatet, ita permittes optimè clauſum quoad coloretur. Hæc eſt altiſsima prępara-tio lillig, quæ hominem purgat intùs & extrà, cuius adminiſtratio talis eſt. In dolio vini recentis in Septembri vel Octobri, ſemper ad viginti menſuras, iſtius tincturæ ponatur vncia ſemis, & ſimul digeri purificariq́ue permittantur ambo. De hoc vino bibãt patientes ad tres vel quatuor ſeptimanas, aut diutiùs, ante omnes alios hauſtus, hoc eſt, ſine alijs, vel præter alios.

De tinctura Salis Philoſophorum.

ACcipe Salis Auri, Salis Antimonij, Salis Meliſſæ, ana vnciam ſemis, Salis communis puri petroſiq́ue vncias octo. Miſce ſimul, & ſuper fruſtum panis edatur ieiunò ſtomacho. Nec mireris nos ponere Sal Auri, Sal Antimonij, &c. quæ Salia vulgaria non ſunt, at Philoſophica. Poſtquam ſciueris ea quæ ſcire te conuenit in hac arte, non mirabéris ampliùs.

Aliud Sal Philosophorum.

ACcipe Salis Gamandreæ, Salis Cichorij, Salis Valerianæ ana vnciam vnam, Salis Absinthij vnciam semis, Salis Vitrioli drachmam vnam, Salis communis puri petrosiq; libram vnam, quæ mixta simul edantur vt suprà. Nec subticere possum, ea quæ Paracelsus Præceptor noster de Solis terrestris arcanis vlteriùs scripserit, vtpote differentiam inter quintam essentiam auri, pocu lentum aurum, & oleum eiusdem. Est enim quinta Solis essentia per vini Spiritũ extracta, cuius modum suprà posuimus. Aurum verò potabile est, cum id vnà cum alijs Spiritibus & liquoribus in potionem resoluitur. At oleum auri est, quum ex auri sola substantia per se fit oleum purum, quorum descriptiones inferiùs apponere minimè pigebit.

Auri potabilis descriptio.

ACcipe auri foliati, vel per limam puluerati vnciam vnam, hoc in succum re soluatur, addes Aceti destillati quantum suf ficit: destilla postmodum & separa, tam diu hoc facito, quousq; adiunctorum nihil sapo ris maneat, postmodum in Aquę vitæ quinque vncijs immergantur omnia simul & in pellicano per mensem digeratur.

Eius Aquæ vitæ descriptio.

ACcipe Vini ardentis libras decem, Rosarum Melissæ, Rorismarini, Anthos, Cheiri, foliorum vtriusque Ellebori, Maioranæ ana manipulum vnum, Cinamomi, Maceris, Nucismuscatæ, Caryophillorum, granorum Paradisi, Piperum omnium, Cubebarum ana duas vncias, succi Chelidonię, Tapsi, Melissæ ana sex vncias, cinerum Fabarũ quinq; vncias, commisce permitteque simul in pellicano digeri xij. diebus, tandem separabis & vsui reseruabis, quem suprà ponimus.

Olei Solis descriptio.

POstquàm vt suprà dictum est, Aurum in succum per Acetũ reductum fuerit, bulliat per quindecim dies in digestione sequẽti, postea separetur in balneo Mariæ volatile, manebit in fundo fixum Oleum Auri purum.

Corpus digestionis hoc est.

ACcipe succi Chelidonię libram vnã, & Aquæ vitæ circulatæ partem æqualẽ, vel paulò plus resoluãtur in Spiritum, & his Auri misce tres vncias, demum fac vt suprà dictum est.

Arcanum per quod ea quæ præposita sunt elucidantur.

COelum & terra per hominem generãt hominem, qui proles eorum est. A cœlo habet intellectum, à terra verò corpus, & quia ex terra, in suo corpore est in quo reuertetur: ex cœlo tamen quod in ipso, est ex firmamento. Pręterea adhuc vnum possidet ex dono Dei, per quod astris dominari potest, quum ex Deo didicerit. Cœlum & terra simul sunt, sic etiam cœlum & homo, sed sicut homo ex terra est, ea ratione secundum terram, & ex terra cognosci debet: at quatenus ex cœlo, secundum cœlum etiam iudicandus est. Igitur homo, cœlum & terra vnum sunt, etiam aër & aqua. Si homo res in maiori mundo transmutare nouit, vt in Sal omnia, quantò magis id in Microcosmo, hoc est in seipso nouerit, quod extra se potest, modo cognoscat hominis in homine thesaurum existere maximum, & non extra ipsum. Ab eo procedit interiùs (licet mediatè) per quod operatur extrinsecùs id quod ocùlariter videt. Ergo nisi Mente cæcus fuerit, videbit, id est intelliget quis & qualis intrinsecùs existat, luceque naturæ seipsum cognoscet per exteriora. Certum est ex humano sanguine generari Sal naturale Balsamũ eiusdem

eiuſdem corporis, quod in ſe corruptionem & præſeruationem à corruptione habet: nã in rerum natura nihil eſt, quod immutatum in ſe mali tantùm non contineat, quantùm boni. Pariter in oſsibus & carne generatur naturale ſulphur, quod propter liquoris naturalis exſiccationem incenditur, totumq; corpus & ſeipſum conſumit aliquando. Huius incendij cauſa eſt, quia homo fuit à principio ſulphur, quod in carnem & ſanguinẽ tranſmutatum eſt, quæ media ſunt eius materia, quamque natura prima vel materia ſua plurimum odit, ac eam ad ſe reducere conatur, quod quum fecerit cinis terraque reſultat, materiæque hominis primæ reliquum, vltimæque ſubiectum. Et quia homo eſt in corruptione generatus, odio proſequitur eũ ſua propria ſubſtantia. Hinc fit vt ſulphur naturale hominis à creatione media recedat in primam, ad quam appropinquans, eius naturam aſſumit, ac in elementarem operationem tranſit: qui quidem elemẽtaris ignis eſt corruptionis cauſa, quique per inuiſibilẽ Solem plurimis incognitum accenditur: & hic eſt Sol Philoſophorum. Tales in homine ſunt Virtutes, vt per corruptionis potentiã liquorem exſiccare valeant, & hac via Salia hominis reducunt in calcis naturam, per quam corpus in ſulphureum eſſe ttanſit.

Corpus itaq; reduci debet in materiam primam, ad quam proximum habile factū est ad receptionem ignis ad primam essentiam corrumpentis, velut in alijs creationibus in terra vel subtus montes fieri videmus. Et licet non eadem sint corpora, tamen eædem sunt operationes. Non est idem ignis accidē te, sed substantia. Sol est inuisibilis in hominibus, in terra verò visibilis, tamen ex vno & eodem Sole sunt ambo. Homo quidem est esca, in quam per cotem scilicet Mercuriū, & calibem Cœlum, ignis huiusmodi scintillæ excussę fomentum accipiunt, viresq; suas exerunt. Chymicam artem exercet Archeus naturaliter in homine, tanquam artificialis in officina sua Chymista Minerarum corruptor, qui tria scilicet Realgar, Chymicum & Aurūm à Minera separat. Quia tam diu acista simul permanent, quodlibet per se nullā vim habet: at quum separata sunt vnūquodque suas agendi vires exprimit in hominē. Talis est in ipso Orizon, non in viribus, at in ipsa creatione. Ars itaque naturalis in Microcosmum agit, vt homo separetur in Aurum, agente per se fulmine. Chymicum suo loco separat in Loppam, & Realgar in fumum, vaporem vel corpus sublimatum. Hoc Archeus dictus Vulcanicis artibus in homine perficit, quousque ad suam vltimam perducatur ma-

tur materiam. Est enim vltima rerum materia, quæ iubilat in exaltatione sua, sicut aurum ab alijs duobus separatum gloriatur in igne vitrumque.

Authoris declaratio, cur sequentem Apologiam contra calumnias larvati Philosophastri cuiusdam I. G. P. sub Leone Suavio latentis, scribere coactus fuerit.

POstquam opusculum Chymicum in gratiam artis huius omnium studiosorum edidissem, quo tria cõtinebantur Ænigmata, nõ obscurationis artis gratia, sed ingeniorum exercitationis posita, quæ & hîc addere visum est, quòd quidã Inuidus Gallus Parisiensis, qui sese tanquam Oedipodẽ iactans, secundum non ex ingenio, sed indicio studiosè posito perperam soluisse putauit. Addidi quasdam ex Præceptore nostro Paracelso tincturas Philosophicas: has etiam rodere mordicùs non abstinuit præter æquitatem. Verùm quàm temere stultitiam hanc aggressus fuerit, audite quæso. Priùs tamen ænigmata ponam ex ordine: tincturæ quidẽ antea positæ sunt.

Primum Ænigma.

Visitabis interiora terræ, reperies ibidem occultum lapidem veram Medicinam.

Secundum.

Vnum poſt quinque, nihil N, poſt quinq; millenum colloca.

Tertium.

Pretium vile, carum, Draconi caducifero deuorãdum exhibemus pro cognita ſui parte Philoſophis, arbitrioque laborantium & ingenio relinquenda. Quo deguſtato mox inquietus ille Serpens gradum ſiſtit, & in ſoporem actus, veris curandus Artiſtis, & cuſtodiendus ex arte Metaphyſica ſolùm relinquitur. Vel aquis è duobus fontibus albo viridique manantibus abſorbendus datur, donec redeat Æſtas proxima, quæ ſuo vehemẽti calore ſiccet aquas, & cadauer in profundo Maris appareat mortuum. Quod in ignẽ iterum proiectum reuiuiſcit, alisque ſibi reaſſumptis euolat in auras, in igne tamen relicto fœtu, quem parit ex conceptione pretij. Fœtus hic in igne natus, vt Vulcanus eſt nutriendus igne, quouſque iam Adoleſcens factus, & poſtmodum rubicundus & ſanguineus euadat. Tum fœlicioribus vndis, quàm illæ quibus mater, lauandus eſt & ſubmergendus, vt ex ſua morte languentes viuant fœliciùs. A' corpore iam pallido facto ſeparata eſt Anima cum ſuo ſanguine, quæ pretiũ nobis eſt, corpora cuncta vilibus valeant.

Animam

Animam hanc vndiquaque ſanam in ægrũ corpus fuſam, illud ab omni labe mundum, ſuæ Virtutis ſimplicitate reddere compertũ habent Philoſophi. Hæc eſt omniũ Medicinarum Medicina perfectiſsima ſimpliciſsimaque, nihil in humano corpore corrupti relinquens, at omnia languida refocillans, & in temperiem tranſmutans quicquid intemperati fuerit ac imperfecti. Vnionis ſimplicitate ſua pacem facit inter inimicos mortales, & concordia vitam in hoc ſœculo Deo dante ſemimortuis tribuit, ac ſanitatem largitur ægris corporibus.

VENENI QVOD LEO (NESCIO QVIS) SVAuius *sub I. G. P. velamine latens, in Theophrasticos euomere conatur, proprium in pectus eius per Gerardum Dorn Apologetica retorsio.*

NON præter omen expectationemq́; meam euenisse fœliciter, & Leonem incautum post vnum aut alterum annum ab editione fœtus mei præter lapsum ad eius deuorationem aggressum esse gaudeo. Suauiùs quid mihi contigisse potuit vnquam, si cum tam feroci duellum agens, victoriam (de qua non dubito) consequar? Sed non satis video, qua Metamorphoseos arte Gallus in Leonem cõuersus ad pugnam proruperit, cùm tamen huncille Solis influxibus antecellat, alterque reformidet. Arcanum hoc Suauium illum naturæ macrum indagatorem latuisse videtur. Aliàs Galli formam sub qua Leones etiam superare potuisset, non immutarat. Ni fortassis abiecto

abiecto nimirum animo Vulpium cum Gallis inimicitiam formidasset, acilliis necnon alijs animantibus metum incutere molitus degenerem timidumque Gallum suum, leonina pelle palliare voluerit. Nec eo se tutum propugnaculo satis existimabat, quum aliud sub triangulo fabrefactum adderet. Quid autem hominis, vel ferocis alterius animalis sub I. G. P. velamine lateat, ignotum est mihi. Quapropter non est quod ægrè ferat quisquis ille fuerit, si fortè quàm persona sua dignum est, Leonis rugitibus acriùs respondero. Laticis huius interpretationem ab aliquibus doctis viris habere conatus sum, quos inter nonnulli sic intelligunt Inuidus Gallus Parisiensis, eiusque nomini & cognomini, quæ quidem ipsemet in epistola ad Ludouicum Sangelasiũ præscripta subticere non potuit, propter Academicam literaturam solùm in eo non exiguã, parcendum adhuc esse iudicant modestiùs, quàm vt ipse debacchandum. Interim tamẽ vt is videat, ac iudicent alij, quàm insulsè de rebus minus cognitis, aut non satis intellectis affirmare, tum quod peius est, impudenter somnijs alios reprehendere mẽdacij turpe sit officium, æquum est, vt qui præter æquitatem alijs malè dixerit, peius etiam audiat. Et vt mihi victoriæ tropheum existat

amplius

ampliùs hunc ego Leonem proprijs vnguibus eius dilacerare ſeipſum potiùs, quàm cõtra vanos eius inſultus, mea me quis arma ſumpſiſſe dicat in mei defenſionem. Nec ſatis vt me defendam ab inimicis per meum inimicum videbitur: at quò maior ſit victoria, huiuſce mei me vindicabit inimici maximus amicus, quem pro Leone commutauit Gallus, ei hac de cauſa factus inimicus, cuius ego calcaribus & ſpinas addam, vt Leonem equitans Gallus, agnoſcat Suauius contra ſtimulum calcitrare difficilimum eſſe. Stimulus enim eſt Veritas. Miſſa faciamus hæc, & pugnam aggrediamur ex animo.

Primum in me iaculum ſub arroganti ſatis admonitione lectorum, & falsò facta laxare non erubeſcis his verbis:

Iam tractandæ ſunt (inquis) ex herbis, lapidibus, & metallis præcipuæ Paracelſi confectiones, quas ponam uti ſunt aliquorum manibus contritæ, ut lectores tandem auocem ab erroribus Gerardi Dorn.

Falsò (non tua ſed lectorum pace dixero) Leo ſomnias tincturas Theophraſti (quas inepto primùm, & Pharmacopolico vocabulo confectiones appellas, cum ſimpliciſsimę ſint Medicinæ) manibus meis tritas, vel vt poſtmodum innuis, conſpurcatas mutilatasque. Quicunque libros Germanicos Chirurgiæ magnæ Germani legũt, ea potiſsimũ exem-

exemplaria,quę vetuſtiſsima ſunt inter illa, meliùs quàm tu Gallus, & linguæ Germanicæ prorſus ignarus, an quos mihi conaris errores aſſcribere,tui potiùs quàm mei ſint iudicabunt. Interim tamen dum reprehendis interpretationem quam feci fideliter, eadē vti non recuſas eam de verbo compendio quod in Paracelſi libros perperam facis inſerens ad verbum,indicio eſt quòd tuam nō adieceris meliorem,quò tibi vel mihi mendacium adhæſiſſet. Poſtmodum in ratiocinatione confectionum(vt ais)quas à quibuſdam perperam deſcriptas fore falsò commēntaris, ita proſequeris ineptire magis quàm ſcribere.

Iam curaueram(inquis) compoſitiones tincturarū, oleorum, & c. mihi è Germanicis Theophraſti ſcriptis, in noſtram linguam conuertendas, quando Gerardi Dorn & alterius libri emerſerunt. Quibus ego maximas quidem gratias haberem, ſi non contenti nudis uerbis, ea uel reſtituiſſent in integrum ubi manca erāt uel mutila, aut ubi adeo erant obſcura, quum Paracelſo in arduis libuit tenebras offundere, aliqua luce illuſtraſſent.

Omittere profectò non potuiſti quin ipſum te proderes, hoc ipſo quod ſuperiùs per confectiones intellexiſti repetito iam per compoſitiones vocabulo. Quo quidem nobis luce clariùs, doctrinæ Theophraſticæ maxi-

maximam imperitiam in te patefacis ab exordio mox, vt non ampliùs te pro Theophraſtico, nec etiam artis Chymiſticæ diſcipulo cognoſcamus : magis adhuc innoteſces. Quid enim tincturis Theophraſti potuit indigniùs obijci, quàm illas fore compoſitas, quæ quidem ſimpliciſsimæ ſunt, ac à ſuis ita ſeparatæ craſsioribus corporibus, ut Spirituũ inſtar omnia corpora facillimè penetrent, inde ſibi nomen etiam Tincturarũ Philoſophicarũ à Theophraſto ſortitæ ſunt. Cur potiùs Tincturarum extractiones non dixiſti? ſic apparuiſſes nobis ex ſuperficie quadam Collega diſcipulorũ Theophraſti. Nunquid hoc ipſum conſiderare potuiſſes ex uerbis meis à quibus in me calumniari ſumis initium? Extracta (dixi) tinctura Solis, non compoſita, uerba Theophraſti ſic imitans ex Germanico.

So dieſelbige farb genommen wird/ vñ ſein corpus weyß bleibt/ geſcheiden von der farb /ſo ſeind alle ding zür bereitung gefertiger.

Notaſſe debueras has duas dictiones (*genommen*) id eſt acceptum, & (*geſcheiden*) hoc eſt ſeparatum, quarum ego mediam ſignificationem accepi, qua breuiter ſeparationem ſ. ctoribus extractione, nec non hanc illa debere

bere fieri significarem. Nihil accipitur ab altero uel separatur, nisi per abstractioné, auulsionem, extractionem, uel si mauis ex schola tua receptionem, &c.

Nec est etiam quod iudices, nec alter quispiam hoc loco me Tincturas Paracelsicas de uerbo ad uerbum trāstuliſſe: nam traductio talis (quod uitiosa) diuersarum ob linguarū uariatas proprietates nō admittitur, sed potiùs eas ad compendiolum reduxiſſe, ut ex earum practica lectoribus illorum usus quæ præmiseram ac utilitas innotescerent.

Demum nudis (ut ais) uerbis, &c. tacitè quid moliaris facilè percepi: non aliud scilicet, quàm ut ad iram me prouocares, & ita partem tueri meam cupiens, apertiùs quæ tuo rudi nimium ingenio clarè satis in meis opusculis, uel initiatis doctrinæ discipulis extant aperirem: cum ipsemet in præfatione, quam facis in compendium hoc dicas.

At in mysterijs scimus semper illud usurpatum fuisse. Procul este prophani. Idcirco (quidem adycis.) Audite quæ ille ipse Theophrastus uidelicet, in fine libri de gradibus, in hanc rem lectorem admonens. Quamuis hæc qualiscunque demonstratio ijs qui se Medicorum passim nomine uenditant, obscurior fortassis, atque ob id etiam lectu inutilis existat, nihil moramur, neque præterea eos alio dignamur

respe-

reſponſione, niſi quod ob eorum imperitiam excuſatos nos uolumus. Itaque quicquid poſthac ſcripturi ſumus hoc qualecunque eſt, ſolis dicamus Philoſophiæ alumnis: interim tamen rogatos etiam uolumus iuniores Medicinæ candidatos, ne iſta ſcribendi obſcuritate cõmoti, uel terreantur, uel deſperent: quin potiùs artes indagare Spagyricas ſtudeant: quibus imbuti huius ſcripti noſtri rationem, atque adeo fundamentum percipient.

Vide quàm probè tibiipſi reſpondeas inſcius tamen? vt opus non ſit aliud nobis quã deliria tua notare. Satis etiam vt opinor, illuſtraſſe me puto quos dixi libellis, modò intellexiſſes. Ea quæ de tincturis ſcripſit Theophraſtus, manca vel mutila non reperi, ſed, vel ſuperflua quædã & pauca, vel per Typographos, aut Amanuenſes deprauata potiùs correxiſſe videbor ad illuſtrationem, & nihil addidiſſe de meo: quod infrà liquebit latiùs. Addis & hoc.

Itaque ut ab ea exordiar, quæ (ſi uerè eſſet tradita) iure omnium foret præſtantiſſima, nempe de Auri tinctura, uel arcano quod initio huius compendij paucis perſtrinximus.

His verbis Theophraſtum ipſum temerè ſatis arguis mendacij, quod etiam authoritate Gebri non intellecta poſtmodum oſtentare conaris. Hoc ineptè nimis inſanire te potiùs, quàm ſapere iudicabunt omnes, qui

vel

vel Chymisticis rebus initiati sunt, vti narrabimus postquam id quod à me silentio prætermissum in Aquæ Salis paratione vitiosum fore iudicas, defendero. Non percipis ô miser Alchymista, quàm insulsè quod non sine bono iudicio factum est nulla ratione carpas, nempe dictionem Germanicam (*geflossen*) id est liquefactum, esse magis in obscuritatem sententiæ, quàm elucidationem? eo quòd nullum Sal à natura procreatũ sit per liquefactionem, sed per congelationem tantùm? non fuit igitur in principio methodi necessaria, cùm subsequatur his verbis, (*vnd laß flueſſen etlichmal*) quæ Latinè sic reddidi, & liquefiat aliquot vicib. His apertè liquet lectoribus, eã liquefactionem artificio fieri debere, non quidem naturaliter. Ex altera parte considerani si per Amanuensem, animadversionis inter scribendum aliquo defectu (quod plerunque solet) accidisset, ac loco (*geſtoſſen*) quod pulueratum Latinè sonat (*geſloſſen*) id est liquefactum scripsisset, aut in Typographia fortasis euenisset, ſ in f, & t in l. mutatis. Verùm ponamus idipsum fore, nihilominùs erit superflua dictio, quia non est ad Salis alicuius liquefactionem pulueratio prorsus necessaria, nisi quis dicat Salia crassiorum partium citiùs liquefieri, prout Sal Gemmæ, necnon alia, quod anile quid

esse vide-

esse videtur nihil ad rem faciens: nam siue citiùs siue tardiùs modo liquefactum sit non refert, industria liquefactionis, vel acceleratio sit operantis officium ad subleuandum laborem: quapropter omisi, quod minimè necessariam esse fuissem expertus.

De vini tandem Spiritu mordicùs, vino fortasis hoc obrutus Theophrastum & suos reprehendis inquiens.

Miror hos qui Theophrasti discipuli agnosci uolũt, non animaduertisse corruptissimam esse hanc extractionem, in qua circulatio prima est, quæ in Magistris quintarum essentiarum, Io. de Rupecissa, & Ray. Lullo semper est postrema. Deinde nõ separari phlegma mortificans Spiritum nec feces in opere circulãdi. Nõn declarari signum quando Spiritus cessat ascendere. Scribi hanc destillationem fieri in frigido, &c. Tum autem, Quod sequitur esse Aquam uitæ, non Spiritum, quæ oratio est? Nonne ab omnibus Spiritus uini appellatur Aqua uitæ? &c.

Breuibus tibi sic respondero. Miror hunc Leonem Sannium (Suauium dicere putaui) sese Theophrasticum ostentare falsò non vereri: nihil enim quàm Theophrasti mentem, aut scripturas eius minùs intelligit. Non potuit animaduertisse Theophrastum hoc loco circulationis mentionem fecisse nullam, sed circulatorij vasis tantùm, ad separationẽ digestione factam vsurpati? Putrefactionem

ad faci-

ad facilioré ſeparationé fiendá, non eſſe circulationé, ſi Practicus in arte Chymica fuiſſet intellexiſſet. Circulari quidem liquores illi tantùm conſueuerunt, qui iam à ſuis corporibus impuris ſeparati ſunt: alij verò circulatorio, vel alio quouis ad hoc apto vaſe digeri, ſicuti natura fieri conſueuit in ſtomacho ſeparationem faciente. Idipſum & ipſe tu fateris imprudens cùm dicis: *Deinde non ſeparari phlegma mortificans Spiritum, nec feces in opere circulandi.* Si hoc intellexiſſes quod ipſe dicis, Theophraſtũ hîc nõ circulari velle vinũ, ſed Spiritum eius digeſtione fieri magis ſeparabilé percepiſſes. Differentiam etiã inter vini Spiritum & Aquã vitæ non facere tantũ Chymiſtã, quid abſurdius eſſe poteſt ac interrogare? *Nonne ab omnibus Spiritus uini appellatur Aqua uitæ?* Reſpondeo nõ, niſi ab his quĩ ſunt artis vt ipſe tu, prorſus ignari. Verùm illi qui callét artẽ, Aquam vitę vini ſubiectũ eſſe de quo vini Spiritus extrahitur experti ſunt: quã extractionẽ Præceptor noſter hîc abbreuiare docet, frigideq; deſtillare. Hãc tu deſtillationẽ admiraris, acſi res impoſsibilis narrata foret, illis tamẽ euidẽtiſsima cũ ſit, qui vix vnquã deſtillarũt, videlicet Spiritus omnes ſuapte natura libẽter aſcẽdere, q; ſi nõ facerẽt Spiritus eſſe minimè nec dici poſſẽt: dubitas adhuc de ſimili deſtillatione? Vide etiã quã

munia-

minimè conſtes, alijs quoque minùs, qui paulò antea dixiſti: *Aqua enim uitæ rectè dicitur pro humore uitali, ſeu radicali uniuſcuiuſque rei.* Adhuc quæris, an Spiritus vini ab omnibus Aqua vitæ non appelletur? differentiam inter humidum & calidum radicalia non faciens: qualis es tu Medicus? Nec deſinis in authoritatem citare Magiſtros eſſentiarum quintarum contra Theophraſtum (interim te diſcipulum eius fore ſingis) ac ſi tantùm vnica via foret ad artem hanc, quam neceſſariò cogeremur omnes ingredi. Varios authores legiſſe, vel potiùs intellexiſſe non videris, qui diuerſas fore vias ad vnum & eundé finem vel ſcopum tendentes, breuiorem ac faciliorem vnam tamen altera fatentur omnes. Ex his mentem collige meliùs Theophraſti, quàm antea feceris in extractione Spiritus vini, falſamque falsò ne iudices ampliùs. In maiorem inſaniam poſtmodum ſic erumpis.

Quis unquam Philoſophorum cum Gebro non dixit, Aurum eſſe homogeneum, ideò ſecundum Plinii igne indomitum. &c.

Reſpondeo, Quis Leonis Suauij craſſum non mirabitur ingenium, quod cùm Theophraſtum intelligere non potuerit, Gebrum intelligere ſibi falsò perſuaſum habeat. Nõ vides miſerrime homuncule Gebrum illudere

dere te, nec non alios naſutulos his verbis: Verum eſt, Aurum manẽs aurum, vel de ſua natura metallica nõ immutatum eſt homogeneum, at in primam ſui materiam reductum nõ eſt ampliùs aurum, nec etiam à Gebro ſic appellatur vlteriùs. Cum Plinio fatemur etiam aurum purum elementari quidẽ igne vel naturali plurimùm indomitum, ſed ſupernaturali Metaphyſico, vel artificiali cedere compertum eſt. Subdis & hoc.

Hæc itaque exiſtimo ex Paracelſi fontibus clariùs nunquam hauſta fuiſſe, ſed ab artis penetralibus ſubtiliſſimè inſerta. Quod ex ipſo Gerardo liquet clariſſimè, qui de tribus ænigmatibus ſecundum fecit. Vnum poſt quinque, nihil n, poſt quinque millenum colloca, id eſt uinum (quia n litera non eſt numeralis) quaſi uerò deſtillationem uini lippis & tonſoribus notam, conueniat integumentis ænigmaticis adumbrari, &c.

Reſpondeo te verè lippum eſſe fateri, cũ de vino me ſcribere, quo madẽt pocula Bacchi noſtri non videas. Putasnè aliud eſſe vinum, ex quo poteſt etiam ardens Aqua deſtillari? rurſus eò quàm paucam in arte Chymica peritiã habeas patefacis: Videsnè deſcripſiſſe me priùs ardentis extractionem Aquæ de vulgari vino (quod æquo fortè largiùs ſumpſeras, quum iſta ſcriberes) bis rem eandẽ agere quid opus erat, ſi de vino quod intelligis ego putaſſem? Eſt quod addiſcas,

id omne ex quo poteſt ardens Aqua elici, vi num apud Philoſophos appellari metaphoricè.

His etiam tuis ineptijs, ardentem Aquam & inflammabilem ex diuerſis corporibus extrahi poſſe, præterquàm ex vino tuo vulgariq; videris ignorare.

De arte coquinaria tua, neſcio quid offæ non ſalſæ, mihi falsò non vereris obijcere, cuius ego nullam feci mentionem. Offa tu ſolus veſcere tua, coquinam vt tu, non exerceo, ſed Chymicam artem.

Oſtentare præterea vulgo tuum ingeniũ ambitioſe dum conaris, imprudẽtiam huic, atq; doctis viris tuam detegis. Quòd ſi Phœbi potens oracula reſerare tu Leo fores, vt per ironiam canere de te videtur epigrãma Græcum Petri Morelli, à Gillio Pinautio Latinè redditum: fortaſsis quod meũ ænigma reſoluiſſe te iactaſſes apud populum, cur tu primum, & etiam tertium non reſoluiſti, vel reſoluere non potuiſti: aliàs non reliquiſſes integra. Tuo certè quòd nodum ſecundi vix attigeris, quantò minùs reſolueris, ingenio minimè debetur, ſed illi dictioni quam ſtudioſè ſub finem appoſui (nempe colloca) tibi ſimiles, & incautos, atque mordaces, vt in prædam facerem, ſuoque vino eos obrutos relinquerem, & alijs quod alios eſſe cupiãt, ludi-

ludibrio forent permaximo. Non miror ampliùs quî factum sit, vt omnes libelli mei locos præter hunc (quem etiam non tetigisti) reliqueris integros. Voluisti priùs experiri, quidnam ad macram quam coxeras offam, adderem salsamenti, credens fortè me salsamentarium esse. Nihil prorsus magis cuperem, quàm vt in illis carpendis, maiorem occasionem doctis depingendi Viris, quàm sis in officina Theophrastica macer offarius attulisses. Et interim tamen eius interpretẽ esse te iactas, ac alios eius veros discipulos reijcis. At vide sis in istis interpretationibus, quàm antea tuis in obtrectationibus fuisti, cautior, ne quos in scriptis Theophrasticis errasse perperam somnias, illi te postmodũ ea deprauasse per ignorantiam luce clariùs demonstrent. Grato contra feremus animo, si tanti viri difficillima scripta sincero studio iuueris, & præter fucum enucleare lectorib. Sed quòd laudem ex aliorum vituperio tibi parare cupias, ab officio docti Viri grauitateque quàm alienum sit, ipsum te nosse puto. Ad iniurias tuas vt redeamus, hæc subiungis.

Superest (inquis) in fine huius extractionis graduatio illius Spiritus, quem uterque scribit (alterum è duobus me putas) non ultra quintam essentiam subsiliari, quum ultra quintam uicem sonet

Germanicus ſermo. Hoc eſt (inquiunt) 2. 4. 0. vbi legendum eſt 24. qui gradus eſt vltimus auri perfecti naturalis, id eſt 24. Karatti, ex ſermone Aurificũ & Monetariorum: aliàs addunt comburitur. Quis unquã aurum comburi auſus eſt affirmare? Addam in adminiſtratione Theriacam Venetam à Gerardo præſcribi, quem dubito de Terebinthina cogitaſſe: Epitheto in Theriaca ridiculo, & acceſſione ad authorem in epitome ſuperflua. Ex his licet lectori de cæteris horum interpretum ſomnijs coniectare.

Reſpondeo, ſic debuiſſe te Leonem dixiſſe de teipſo. Ex his meis calumnijs licet lectori de cæteris ineptijs coniectare, quas audiat quiſquis hæc legerit, vt ex æquitate iudicet. Scripſiſſe me dicis: Non vltra quintam eſſentiam ſubtiliari, quum Germanicus ſermo, non vltra quintam vicem ſonet. Specularibus indiguiſti lippæ menti potiùs, quàm oculis vt ſubuenires. Addam Germanicum ex ipſomet Theophraſto ſermonem, vt iudicent lectores, an vtrumque non contineat, ſcilicet ad quintam vicem, & vltra quintam eſſentiam.

Weyter/ſo dz geſchehen iſt/ ſolt du das gradieren / zum fünfften=mal/durch ſeines gleichẽ retorten / nach der kleine der ſubſtantz vnnd materia/wiewol das iſt/dz ſolchẽ gra=

gradieren allein geſchicht / durch die eleuation / vnnd die ſie ſubtil macher: So leſt es ſich doch über das fünffte weſen nicht bringen / das iſt / auff ij. iiij. o. Wird auch weiter verbrannt werden / ꝛc.

Adiũge tibi Germanos interpretes, vt exponant quid Latinè ſonẽt hæc uerba: (*Funffte weſen*) & quid præcedentia (*zum funfften mal*) tum iſta pariter (*Das iſt auff y. iij. o. wird auch weyter uerbrant werden*) & inde iudicetur quã ad interpretationes Germanicorum ſcriptorum Theophraſti (licet Germanos vt ais habueris interpretes) aptus extiteris, vt in poſterum etiam iudices meliùs, aut abſtineas. Nec eſt quod excuſes te primam ſententiam inſpexiſſe, quæ quintam vicem habet, quia Prępoſitio hęc vltra, Germanicè (*uber*) dequa tu mentionem facis, adhæret poſteriori parti de quinta eſſentia diſſerenti: cùm prior de graduatione ſolùm per eleuationẽ facta loquitur cum Præpoſitione (*zum*) id eſt vſq; ad. Harum ad operationum differentiam notãdam lectoribus addit Author (*wiewol das iſt, das ſolchen gradierẽ allein geſchicht durch die eleuation*) & antea vas poſuit in quo fieri debet eleuatio his verbis (*durch ſeines gleichen retorten*) Putas tu quintam eſſentiam per vas retor-

tum fieri? Quid ſibi velit Author ignoras video per hęc verba(*auff ij.iiij.o*) quæ poſtmodũ interpretaris ineptiſsimè per 24. Karatto graduũ auri. Iudicium quod in his tribus caracteribus facis, indicat Arithmetices te nõ vſque adò peritum fore, qui non facis diſcrimen inter punctis diſtinctos, & cohærentes abſque diſtinctionibus numeros. Si puncta quidem, vt innuere videris auferantur, non viginti quatuor, ſed ducenta quadragintaq; ſignabunt: nam & Zipharæ vel notæ nullius pro loci quidem occupatione, rationem habere te oportuit, aut explicare cur Author eã addiderit. Quod etiam de Karattis 24. & auri gradibus fabularis hoc loco, puerile nimis & ridiculum eſt: nam ipſi tibi contradicis imprudens, quum hanc dictionem addis: *naturalis perfectionis auri*. Non perpendiſti vel ignoraſti potiùs tincturam auri, necnon eius extractionem eſſe Metaphyſicam, & non ex artificio naturæ? Meliùs in teipſum vt debac cheris addis inferiùs.

Addam (inquis) hîc tantùm de gradibus auri uel Karattis, ex quæſtione quadam de peſte, incerti Autoris eruditiſsimi tamen, quiſquis ille ſit. Aurum demum natiuum purum putum eſſe unius gradus aureitatis integri, Philoſophorum uerò erit centum uel mille graduum integrorum.

Non vides differentiam factam inter natiuum

tiuum aurum & Philoſophorum, quod ſupra tetigi, quum Gebri produceres authoritatem?

Addam (ſubiungis) in adminiſtratione Theriacã Venetam à Gerardo præſcribi.

Audiant lectores quid habeant verba Germanica:

Die eingebung der Guldenen tinctur/zůnemmen die zerſtörung der offnen ſchäden/iſt alſo/das du ſie vermiſcheſt/ein quintlin vnder ein vntz des beſten Tiriay.

Conſule Germanos, utrum hæc oratio (*des beſten Tiriax.*) optimæ theriacæ, vel vt ineptè vis Terebinthinæ ſignificationem habeat, quæ dictio Germanis (*Terpentin*) ſonat.

Quòd Venetam loco dictionis & adiectiui Germanici (*des beſten*) quod optimæ Latinis dicitur, poſuerim, hoc à me factum exiſtiment lectores, quia melior hoc noſtro ſæculo non reperitur ea, quæ Venetijs aduecta eſt, ac ibidem compoſita. Vides igitur Leo nullum epitheto vel eptimæ ſomniatis à te locum eſſe: nam Authorem ipſum Theriacã intellexiſſe probo, per ea quæ ſcribit in compoſitione theriacalis Aquæ, pro Coralij tinctura Germanicè, his verbis:

Vnd dz aqua Theriacalis wird alſo: Nim ſpiritum vini zehen lot. Tiriac fünff lot/etc.

Notandum eſt hic(*Tiriac*) per C terminari, quia eſt Accuſatiuus, ſicuti Spiritum vini qui præceſsit in eodem caſu. Verùm antea quum terminaret in X, erat Genitiui caſus, docet articulus Germanicus prçcedens(*des*) Docebisnè Germanos, Leo tu Galle Germanicè loqui precor? ineptus videri nedũ, ſed palàm eſſe non erubeſcis. Veneni reſidui demum id euomis.

Hic ego à Gerardo, & reliquis huius Salis Philophici, Auriq; & Antimonij aliquam explicationem non nudam tantùm narrationem deſidero: ſatis tamen inſcitiæ arguuntur, quod poſtea in Solis eſſentia quinta, ad Spiritum iſtum uini falsò deſcriptum nos relegant.

Expiſcatoriam putas poſtulationem facere, quaſi quidnam alas in pectore non intelligerem. Antea iactabundus protuliſti Salia quæquæ de quibuſuis elicere, noſce te his verbis.

Sal quidem ad Antimonij Cryſtalinum ex puluere eius rubeo confeci. Catera genera Salium mihi ſunt facilima, ut Medicis quibuſdam huius ciuitatis, at q; honeſtiſsimis experientia demonſtrauit triplici ratione, hæc prompta, alia ſubtiliore, tertia ſubtiliſsima.

Quid

Quid opus est, vt à nobis vlteriùs ea desideres explicari, quæ tibi saltẽ notissima fore dicis, imò putas? an ea nos ignorare credis, vt ipse tu, qui sub finem falsorum tuorũ scholiorum alios doces quod ipsemet ignoras? Omnia genera Salium conficere te iactas, & vnicum ex herbis doces, ineptè satis & rustico modo, etiam vnico quem tu varium esse fingis ob aliquam vel tantillam mutationé instrumentorum & nõ operationis. Vbi doces Mineralium Salia vel Metallorum extrahere? quæ quum docueris, non erit quò teipsum tantopere iactes, ac si fores huius inuẽtor, quod millibus annorum aliquot antequàm nascereris inuentum est, ut ex Alchalibus Philosophorum patet. Claua tibi nimium placet ut offa tua, qua me priùs obruere satiareque uolebas, ut culinam tuam saperem: at ego tuis oleribus non assuetus, nec tuæ farinæ sum.

Tacitè mendacij Theophrastum & suos increpas: crasso modo rusticorum dixisses potiùs mentitos esse nos, ut pariter & tibi respondere licuisset, falsò commentata fore omnia, quę tu in Theophrastũ & suos Pseudotheophrastista tu suggeris: præsertim quũ falsò dicis, in Solis essentia quinta ad Spiritum uini falsò descriptum, nos lectores relegare. Non sat scio quisnam calamum cohibeat

beat quin te pro meritis tractem: nisi vererer incontinentiæ notam incurrere, profectò peius audires quàm vnquam excogitare valeas. Verùm quid peius audire licet, quàm tuũ Leonem ignominiæ iugum proprio, quod in alios moliebatur conatu subijsse? Restat vt multis adhuc ineptijs tuis respondeam, quas expreli defectu non te pudet adferre, corrigere debuisti potiùs, quàm ad inuectiuę munitionem vti, sicuti sunt, granorũ Paradis, pro Paradisi: tum illud Chyminũ quod fingis, nam Chymicũ posui, nec etiá Chymũ esse debuit, quo falsò Theophrastum corripis, nihil minùs intelligit, imò contrariũ omnino. Quod scribis, me falsò contra sentẽtiam Authoris adieciſſe, falsum te fingere docebo. Hæc sunt verba Germanica:

Du solst nuhr eingebẽ so lang/ biß die offene schäden nimmer blůten / oder fliessen / das gemeinigklich geschicht in zehen oder zwölff tagen.

Latinè sic. In potum administres, donec nullus cruor purulẽtus ab vlceribus promanet ampliùs, quod plerunque fieri solet in decem aut duodecim diebus. Vide quæso lector, vtrum sententiam hanc sub duobus tãtùm verbis restrictam peruerterim? scilicet.

Hæc

Hæc eſt altiſsima præparatio lillig, quæ hominẽ radicitùs purgat intùs & extrà. Eſt enĩ Authoris opinio quòd vlcera tollãtur à radice per ſanguinis renouationẽ, hoc per (*intùs*) ſignificaui: tũ etiã p deſtructorũ expulſionẽ vnico tamẽ cõtextu, quod per (*extrà*) Præpoſitionẽ expoſui breuiter lectorib. vt ea quæ ſcripſerã illis de meo faciliùs caperẽt, nõ vt illis ad longum (quod aiunt) explicarẽ opera Theophraſti. Qui verò malignus eſt in nihilo, quãto magis in eius fructu mẽdacio capit anſam calũmniæ. Mentem ipſemet Authoris perturbare conatur legentibus, quum eã impudentiſsimè neget his verbis: *Nec purgat intùs & extrà, vt ille (inquit) adiecit contra Authoris ſententiam.*

Iudicate vos lectores optimi, an iſte Zoilus uerus lolium & Zizaniã in agrum Veritatis non ſeminet, qui modò palàm Theophraſtum & eius doctrinã laudibus extollit eximijs, paulò poſt eiuſdem ſcripta negare non erubeſcit, quæ tamen diuerſiſsimis libris illius concordantibus approbatiſsima ſunt. Huiuſmodi farinæ homines, & Euangeliũ ipſum negarent, niſi per Spiritum S. in Prophetis & Apoſtolis, Diſcipulisq; loquentem approbatum eſſet. Phariſaici fermẽti genus hoc Philoſophãtiũ eſt, quod ſuã hæreſim ne dũ in bonas artes, uerumetiã in Dei uerbũ

temerè

temerè ſolent ſpargere. In adminſtrationè tincturæ Antimonij ſic in me progreſſus es agere.

Adminiſtratio eius eſt (repetis) ut in dolium uini recentis in Septembri uel Octobri, id eſt muſti, ſemper ad uiginti lot (menſuram ſimpliciter dixit Gerardus) tincturæ ponatur uncia ſemis, & ſimul digeri purificariq; ambo permittantur. De uino bibant patientes ad tres uel quatuor ſeptimanas pro alijs hauſtibus, nõ ante alios hauſtus, ſecundum Gerardum Dorn.

Non uereris inepte nugator, verba Theophraſti uitiosè potiùs, quàm turpiter immutare, quum pro uiginti menſuris, quas Germanicè (*zwantzig maß*) ponit tu uerò quadraginta. Hæc ſunt Authoris uerba.

Zů nemmen die tinctur des Antimonij / iſt am beſten / ſo ein weinmoſt in ein faß gethan iſt / vnd allemal auff zwantzig maß wein / ein lot diſer tinctur / vnd alſo miteinander laſſen veriären auff ſeine ſtatt / nachfolgendes võ dem wein zů trincken geben / vnd getruncken für alle andere träncke / auff drey oder vier wochen / oder lenger / etc.

Hoc loco te Germanos, Vallenſes, uel Hãnonienſes, Gallos & Belgas oportuit conſulere.

lere, quos etiam posteriores imitatus es: docebunt Germani pro (*zwantzig maß*) viginti mensuras intelligere, quas & ego. Belgæ verò pro viginti lot (vt ais) meliùs lotz in plurali, quadraginta mensuras interpretabuntur. Vide quæso quantam in eo mihi, sed potiùs tibi facias iniuriam, cùm de rebus minimè cognitis, pertinaciter alios præter æquitatẽ arguere præsumas? Ad alteram particulam nunc veniendum est, quæ sic habet.

Pro alijs haustibus, non ante alios haustus, secundũ Gerardum Dorn.

Iam video te præ nimio studio huius artis tuæ Chymericæ, potiùs quàm Chymisticę Grammatices oblitum esse. Ignoras quęso Præpositionem ante cum Accusatiuo alios elegãtissimè significare præter alios vel absq; alijs: hæc fuit opinio mea Leo Suaui, non suauis.

Iaculum postremum quod in me soluis, & in te redundabit cum cæteris tandem attigimus.

Superest (inquis) solummodo uocabulum nouum Lilig ex libro Chirurgiæ Theophrasti Germanico exponendum, quod nulla in lingua usurpatum reperio. Nisi legamus (subdis) stibi pro lilli, quod legit Gerardus Dorn, qui perperam (ut ais) subiecit croceum post flauum in calcinatione.

Dicis Leo te vocabulum Lilig in linguarum

rum diuersitate, & apud multos earum peri tos reperire non posse: profectò si libellum meum cum attentione legisses, nõ ut reprehenderes mordicùs absq; ratione rectam in semitã is te duxisset admonens, in eo minimè quærendum, in quo res quæsita non habetur. Cur potiùs inter carbones illud non quæsiuisti? fortasis non inueniſſes, at illi te relegassent ad ignẽ in quo lilli nati sunt. Cõ quereris postmodum lilli me loco lilig legisse: falsum hoc fore cõperient, quotquot Germanicum textum legent, & utrumq; successiuè tamen in eo cõtineri. Quapropter Germanicum addere non pigebit.

Nim den Antimonium/ zum aller besten in dz Alcool verwãdler: dem nach so reuerberier ihn in einẽ verschlossenen reuerberatorio auff ein monat / so wirdt ein volatile/ am ersten weyß/ darnach gäel/ am letzten rot vnd braun farb / leicht vnd gering. So er nuhn rot ist/ wñ in dz ende reuerberiert/ so nim ihn vnd zeüch ihn auß seinẽ wesen von dem lilli / durch den Spiritum vini also: das derselbige zwantzig fin

ger

ger tieff über ihn auffgehe / vnnd so das wesen Antimonij in dẽ Spiritu vini ist/so scheide es võ einãdes/vnd behalt den Spiritum vini zůsammen also vermischt / das ist die höchste der gantzen lillig reinigung/ꝛc.

Non est alia differentia inter lilli & lillig, quàm inter Germanicos articulos (*Von*) & (*der*) id est inter Ablatiuum & Genitiuum casus, idem quod suprà de (*Tiriac*) & (*Tiriax*) diximus. Postremum hoc est quod euomis uirus.

Gerardus Dorn (inquis) perperam subijcit croceum post flauum in calcinatione.

Textus Germanicus hoc idẽ habet, nẽpe:

So wirdt ein volatile/ am erstẽ weyß/ darnach gåel/ am letztẽ rot vnd braun farb/ꝛc.

Germani profectò ridebunt inscitiam tuam linguæ Germanicæ, uoluisse te penes eiusdem ignaros Gallos iactasse. Ex Germanis perquire nũ ista colorum nomina (*weyß, gael, rot, und braun*) Latinè per ordinem textus obseruatum, album, flauum, rubeum atque croceum non significent? Qualem te Philosophum prodis qui colores ignorare fateris

Philoſophicos,& inter extremos ordine ſuc cedentes medios? Plura de his tecum agere poſſem,niſi me tederet ineptiarum tuarum. Supereſt vt his qui Spagyricam artem norũt oſtendam ex ore tuo,qualis exiſtas Alchymi ſta vel Theophraſtiſta magis, cùm differentiam inter calcinationem & ſublimationem facere non poſsis.Dic quæſo metalla vel mi neralia fiũt calcinatione volatilia? quod hîc intelligis, quum in fine præparationis lillig hoc ſubdas (*in calcinatione*) .Hactenus iacula quæ ſoluis in me,tuum in caput retorſi.

Modò reſtat, vt vnico tuo delirio cætera quæ te mente captum in Theophraſti Paracelſi ſcriptis ducunt, quibuſuis luce clariùs patefaciam,vt ab eo quę ſcribis,imò commẽ taris Scholijs tuis friuolis, & compẽdio quã falſa ſint omnia iudicẽt, cùm ignores quod pueris à carbonibus adferendis exiſtentib. notiſsimum eſt.

Antimonij virtutis præparationem à Paracelſo deſcriptam ſexto capitulo tertij libri de Vita longa,quę ſic habet falsò prorſus interpretaris.

Sub hac enim deliteſcit Antimonij arcanum, id quod per retortam impelli debet,ſine omni capite mortuo, ac denuò in tertium Cohoph reduci: tum demum erumpit.

Hæc ita falsò commentatus es, ob ignorantiam

rantiam ſcriptorum omnium in te Paracelſicorum iubilantem.

Id eſt (inquis) ſupra ſuas feces nigras, in tertium Cohoph in deſtillatione per Alẽbicum, ubi uas eſt triplex, & in tertio recipitur. ſic lib. Chirurgiæ Germanico ab ertz Mercury, id eſt terra minerali, &c. Quod autem dicit abſque omni capite mortuo, ſignificat abſque Alembico: prima cuius pars dicitur cucurbita, pars ſecunda & ſuperior dicitur caput, ob ſimilitudinem capitis humani cum naſo ſtillacidy. Eſt autem mortuum non uiuum, ſic ludit ænigmate ſuo more.

Priuſquàm ineptiam tuam oſtendam & mendacium, operępretium fuerit hunc Paracelſi locum exponere, non ex propria phantaſia, ſed ex Authoris ſcriptis proprijs, in quorum interpretationibus carpere me perperá aggreſſus es, non ſine tui maxima quidem ignominia. Hæc eſt igitur opinio Paracelſi noſtri Præceptoris hoc loco.

Sub hac forma deliteſcit arcanum Antimonij, ſcilicet: *in Alcool reductum, per uas retortum*, igne violento pellatur, vt priorem formam non amittat: *abſq; omni capite mortuo*, hoc eſt nulllis in fundo retortæ relictis fecibus, aut maſſa potiùs nulla remanente: *ac denuò in tertium Cohoph*, id eſt in trinum colorem volatilem, de quo ſuprà in præparatione lillig dictum eſt: tum demum erumpit, hoc eſt non

antea per vini Spiritum elici poterit.

Vide quæso Lector optime, quàm remotus iste Leo, vel I. G. P. laruatus à scopo sit Paracelsico. Ab hoc tam enormi suo mendacio, disce reliqua omnia quæ suis in Scholijs effutire non veretur præter Authoris omnem sententiam, vt venenum fugere. Si de mea dubites interpretatione, lege quæ Paracelsus in extractione tincturæ Antimonij scribit, & quæ tibi hac de causa præposui: videbis eam à mendacijs immunem esse.

Verùm vt ad eius interpretationem redeamus.

Subdis Leo: *Quod autem dicit absque omni capite mortuo, significat absque Alembico, &c.*

Miror admodum quòd Spagyrum te fore non verearis, impudica iactantia quadam profiteri, cùm ignores ea quæ pueris & mulieribus aquarum separationis, vel fortium vt vocant, Aurifabrorum in vsum destillatorum tritissima sunt: ab his addiscas mortuũ caput esse massam illam quę remanet in fundo retortæ vel cucurbitæ: post humorum à Mineralibus exhalationem, emortuumque caput hoc tuum potiori studio reuiuiscere cures in Spagyricis. Interim donec feceris inter destillatores imperitissimos compa-

rere

rere te pudeat, quanto magis in Spagyrorum numerum per feneſtras, & non per oſtium ſubtrudere. Meliùs profectò quàm prouinciam tam difficilem ſuſcipere dormiuiſſes, aut apud Galenicos tuos remanſiſſes. Verùm deſperans iam ad eos redibis, modo recipere te velint, quod fortaſsis facient, hac de cauſa te ſemper inter duos continuiſti, & neutram artem vnquam es aſſequutus. Ad nos verò ſi redieris poſtmodum ab alijs pulſus, Palinodiam recantabis tuorum in libros de Vita longa Paracelſi Scholiorum peſtiferorum, quibus lectores inficis, aut aliàs cùm per otium vacabit, oſtendam veris authoritatibus Paracelſi duntaxat, omnia de verbo ad verbum, quæ per te ſomniata ſunt, pariter & falſiſsima fore. Fac tu quod poſsis, ferociores beſtias in me concitare non poteris quàm Leonem tuum quem deuici, truncatisque ſuis vnguibus non trucidatum tamen ad te remiſi. Cornutas & auriculatas mitte precor, vt & illis auriculas & cornua producamus. Miror ſi poſt modum auſus eris hiſcere, niſi perfrictam omnino frontem cum laruis habeas. Qui ſibi laruam vt feciſti poſuerunt, propter ſuam ignorantiam agnoſci pertimeſcunt. Hanc depone videamus quem I. G. P. tantoperè

celarunt hominem. Ignotus homines inuadere conaris? proditorum hoc officium est, & immutare nomen suspicionem adfert maximam. Redi, videamus vtrum tibi laruã auferre sim ausus, & Sphingem I. G. P. nomine cognomineque proprijs explicare. Sed cur non generosum (non tuum) Leonem imitabor, qui mox adepta victoria succumbẽti catulo parcit? Non ita Leo Sanni mecum egisses, si sannis tuis strenuè non resistens, in casses prẽda petita tuos incidissem. Suauiùs tamen agendum esse putaui tecum, quàm egeris mecum tibi priùs non infesto, facti quidem vt pœniteat, ac resipiscas in posterum. Lector optime vale, & si fortassis quàm libẽter audieris, grauiùs egerim, ignosce precor, famam tueri licet.

DE

DE ALCHYMIA

COLLOQVIVM, QVO *cum Sophista, necnon Chymista, Pater Hermes agit, eosq; Veritatem docet.*

SOPHISTA.

HEV me miserum, quid spei reliquum est mihi? totam destillaui substantiam, follibus fin fumum egi, nedum quę possidebam, sed ea quæ mea non erāt. Iam nec habeo quo famem satiare pane valeam. Quid optare potiùs debeam ea, quæ finem his meis calamitatibus imponere poteſt. O mors aculeo, cor istud afflictum perfodere quid expectas? Volentes fugis, nolētesque fieri tuos arripis. Lætis vitam inuides, mortemque mœrentibus malorum suorum finem. Nemo hic adest, qui audiat planctus hosce miseros, neque hominum quispiam qui consoletur. O bone Deus auxiliū inopi fer, tu qui potes. CHY. Quid vocis audio dolentis? vereor ne quis in latrones in-

ciderit, vulneratusque mortem optet. Adibo, videam si quid opitulari proximo valeã. Salue mi frater. SOPH. Tantam ego tibi salutem imprecor, quanta me premit calamitas. CHYM. Quid est quod ita lamenteris? SOPH. Dicam, si nõ auxilium, consilium adferas. Deus te huc adduxit, vt imminentem desperationem impedires. CHY. Absit à nobis desperatio. Deus enim exaudit preces eorum qui confidunt in eo, consolatur quoque miseros. Enarra quęso, quænam tui doloris est occasio? si mearum erit virium & facultatis, crucem tuam si non abstulero, iuuabo saltem eam portare te. SOPH. Laudetur Omnipotens Deus qui misit ad me virum suum, vt ei tandem, quæ surdis istis arborib. toto iam die frustra conquestus fui, non sine consolatione repetam. Audi frater. Habui quidem antea quibus optimè viuere possem, honesteq; familiam alere. Nescio quid interea famis auri, sitisq; me famelicum reddidit. Coniugem & natos præ fame pressos relinquere coegit. Nemo consolatus est nos, imò derisit omnis ad maximum vsq; minimus. Patriam ob inopiam & verecundiam fugiens, in hanc syluam desperabundus me contuli. Certè puto nisi veniisses, quia mors me fugit, ego ipsam insequutus tamdiu fuissem donec finem his malis dedisset meis.

CHY.

CHY. Relinque precor dolores, & cauſam eo rũ aperi nudiùs. SOPH. Aurũ & Argentũ habui quod ſatis erat, plusq; deſiderás, & illud perdidi cuius hæres fui, nec obtinui quod optabã, videlicet Cuprũ, Ferrũ, Stannũ, Plũbum, & Viuũ Argẽtum in aurũ & argentũ cõuertere. CHY. Sociũ habes, conſolare. SOPH. Quid audio, tu etiã artẽ hãc profiteris? CHY. Maximè, ſed non aurũ neq; argentũ, at Medicinam venatus ſum. Verũ priuſquã ſubſtantiã omnẽ combuſsiſſem, tantiſper abſtinui, donec artẽ perfectiùs edoctus iterũ aggrederer. Iã iter hoc ad excellẽtiſsimũ huius artis doctorẽ ſuſcepi, quem rogabo vt Charitatis ergo me doceat, ſi voles comitare, fortaſsis & ipſe tui miſertus vtrumq; meliùs inſtruet SOPH. Nõ ſunt mihi pecuniæ. CHY. Ego tecũ partiar quicquid habeo. SOPH. Gratias cõ dignas reddere non poſſum. CHY. Surge nũc eamus. Interea tamen dũ pergimus, recreationis cauſa confabulemur. Narra quęſo quł nam egiſti, quo proceſſu rem ipſam aggreſſus es? SOPH. Ea recenſere minimè iuuat, verùm quia cupis faciã. Accepi Martẽ optimè limatum, cui quartam ſui partem addidi Arſenici, miſcens, & in paſtam reducens, eam in vas duplex & obſtructum poſui. Follibus per aliquot horas expoſui. Poſt extractam hanc materiam ſuper marmoreum lapidem

contriui

contriui cum oleo & Sale alchali. Hoc omne forti admodum igne liquefeci, & in fundũ cecidit metallum. Proceſſum hunc toties repetij, donec liquationi facilimę fuit obnoxium. Huic Veneris tantũdem admiſcui. Poſtmodum ambo ſimul in limaturam ſuam redegi, qua cum non aliàs quàm priùs cum limatura Martis proceſsi, donec album vidi metallum argento ſimile. Quo viſo, putaui mox Imperatore me ditiorem fore. Summo gaudio repletus ad Argentarios cucurri, petens an argentum hoc emere vellent. Ipſi verò de fuco dubitantes examinarunt. At Saturnus omnia ſecum ducens in auras euanuit, meque fruſtratum oleo, nec non opera non ſine dedecore maximo reliquit. Hoc primum fuit opus Alchymiæ meum, poſt quod alia tentare plurima non abſtinui, ſpe vana ductus, hac videlicet, vt ſi quid Salis aut alterius adderem Sulphuris, &c. fixa reddi poſſe. Tandem ad alios Philoſophorum libros confugi, de quibus iam hunc, nunc illum errorem didici. Quid multis? nihil vnquam ex libris operatus fui, quod non emẽtitum eſſe meo damno compererim, & aliorum: quo factũ eſt, vt magis odio proſequutus, quàm proprio diſpendio proſtratus, cõſortium hominum fugiam. CHY. Non aliàs mihi contigit ô frater, quintã rerum omniũ eſſentiam

essentiam inuestiganti, per quam vniuersalē elicere Medicinam à triginta sex annis iam elapsis cupiens, adhuc in ea hæreo. Siquidē à Philosophis hoc celatum est, à qua potissimùm elici materia debeat. Hinc fit, vt propter incertitudinem omnia tentent Artifices, & experiundum inter cum suis alienas opes absumant etiam, vt illi qui metalla perfecta fabricare nituntur ex imperfectis. Miror qua ratione id fieri posse credant, & vbi hoc ipsum apud Philosophos legerint. SOP. Sententia communis est Alchymicis scriptoribus, ad extremum vnum, alterius non alia via patere transitum quàm per media. CHY. Philosophorum scripta multis ea non intelligentibus imponunt. Hæc verba sunt ambigua, veluti cætera quibus artem occultare nudis & apertissimis conati sunt locutionibus, atque diuersis in vnam sententiam conuenientibus. Quum dicunt enim, de vno extremo ad aliud non fieri transitum nisi per media, diuersimodè potest intelligi, & verū esse. Primò si vulgariter dictum hoc intelligatur, vt pro extremo priori vnum argentum & Sulphur accipiatur, & pro posteriori metalla quęuis tam perfecta quàm imperfecta, pro medijs verò Salia, Sulphura, Marchasitę, nec non alia sumantur. Verissima quidē est sententia, quod ad opus naturæ pertinet.

Verùm

Verùm si quispiam ex istis principijs & extremis, media nec non extrema fabricare conabitur, ad eiusdem operis naturalis imitationem, plurimùm errabit: non quod ars ista fallax sit, at quia vix annorum millibus à natura perfici potest, cùm vix octuaginta millesima pars hominum annos viuat. & si maiori quàm vtitur natura calore fuerit vsus, destruitur opus, & in fumum trãsit. Propterea non est existimandum hac via Philosophos errasse, vel mẽtitos esse. Nam si quis Artifex, vel plures succedentes idem spatium temporis, ignis aut caloris temperiem similem obseruauerint, eandemq; sumpserint materiã, eadem quæ natura, metalla fabricabunt. Poterit aliàs etiã intelligi nẽpe Philosophicè, vt pro priori metalla sumantur extremo, pro posteriori quidem elixir, & pro medijs colores extremi cum suis medijs omnibus. Verissimum erit Philosophorum dictum, & excellẽtissimũ, non ex artificio naturali, sed Metaphysico. Non potest enim elixir natura per se generare, sed per artificium adiuta potest. Sunt igitur naturæ posteriora, Metaphysicis extrema priora, de quibus arte media manifestantur, & in actum de potentia materiæ deducuntur in elixir, Metaphysicum extremum. Iam habes Philosophorum opinionem, in eo quod æmulari perperam conatus

natus

natus es. SOPH. Fateor sanè me non intellexisse. Verùm ego putaui, per media vulgaria metalla quęuis imperfecta posse pfici. CHY. Tinctoriá artè potiùs quàm Chymicá exercuisti, eamq; magis æmulatus es ista, quę tingere nedum, sed fixare docet etiam. SOPH. Nunquam ad fixationem peruenire potui. CHY. Quid mirum? nec fixis vtebaris ad fixãdum, sed volatilibus ad colorandum. SOPH. Odore plumbi tamen coagulatur Viuum argentum. CHY. Optimè loqueris, at nihil cõcludis. SOPH. Quî sic? CHY. Non facis discrimen inter coagulationẽ & fixationem. Alijs etiá & magis volatilibus coagulari potest, vt Calchãto in sublimatum, & Sulphure in cinabarim. Volatili volatile fixari nullo modo potest: fixo verò, volatile fixatur, ut uolatili fixũ eleuatur. SOP. Precor ut exponere uelis quo fixo uolatile fixari possit, & quo uolatili fixũ eleuari. CHY. Si metallorũ uulgariũ trãsmutationẽ prosequerer, fortasis illã docere te possem, at Philosophica metalla solũ trãsmutare scire cuperẽ, quorũ ego scięntiã hactenus addiscere sollicitè curaui. SOP. Quid est inter Philosophica uulgariaq; metalla differẽtię? CH. Plurimũ sanè quãdoquidẽ ista spiritalia, corporea q dẽ illa sunt. SOP. Quonã pacto Spiritus manib. tractari possunt? CH. Per corporis sui resũptionẽ. Nã corpora spiritalia

nec non

nec non corporei Spiritus arte Metaphysicâ fiunt. SOPH. Doce me precor hanc Metaphysicam. CHY. Docere possum ea quæ cuperem ipsemet addiscere. Hac de causa patrem nostrum Hermetem adeo. Si mecum veneris, ipse te, meque docere potest. SOP. Ista scire te negas, at Philosophorum dicta subtiliùs quàm audiuerim vnquã interpretaris. CHY. Multi reperiuntur, qui hanc artẽ norunt ex theorica tantùm, & Practicam adhuc veram ignorant, eò quòd varia sit, & pro diuersitate quorumuis Artificum variata. Nec alio magis occultarunt artem, quàm eius occultatione Practices. SOP. Non est igitur possibile vt quis eam scriptis addiscat. CHY. Difficilimum est, etiam Philosophis, quid vulgaribus? SOPH. Legi tamen aliquorum scripta, qui hanc artem habuisse, videbantur, quos Philosophos aut literatos fuisse, iudicare quis ex eorum stylo minimè potest. CHY. Philosophi nostri, non ex literis nascuntur, sed ex dono Dei, sic disponente natura non arte. SOPH. Quid prosunt ergo literæ? CHY. Nihil, sed Spiritus est qui uiuificat omnia, tam in hac arte, quàm in cæteris cognitionibus. SOPH. Spiritualem igitur esse tantùm dicis Alchymiam? CHY. Perperam concludis. Nam in omnibus artibus in quibus est agere, ibidem & pati fore necessum est.

ceſſum eſt. SOPH. Spiritus ergo hominis & materia poterũt Alchymiam perficere? CHY. Priori peior eſt iſta concluſio, qua Sophiſticam Alchymiam prodis, viliſsima quauis arte mechanica viliorem. Quoniam in iſta Spiritus hominis tantùm agit in materiam, inſtrumento medio formam artificiatam: at in Alchymia vera, Spiritus in propriam agit materiam, ſupernaturalem formam. SOPH. Quęnam eſt illa forma ſupernaturalis? CHY. Quam natura de potentia materiæ, non poteſt producere, nec de occulto ſuo manifeſtare, ſine Spiritu hominis, aut eius artificio. SOPH. Metaphyſicam iſtam non ſcribit Ariſtoteles. CHY. Nec etiam conſtat eum Alchymiam calluiſſe. SOPH. Extant eius opera de lapide Philoſophico ad Alexandrum. CHY. Talia ſunt hominum figmenta, quæ vt fidẽ acquirerent inſcripta ſunt illi, qui ſi lapidem hunc de quo ſcripſiſſe fingitur habuiſſet, nõ ita voluiſſet Alexãdro, propter infinita quæ recepit ab eo Talenta, nimis ambitiosè blandiri. Potuiſſet enim Alexãdro dare plus millies, quàm ab eo venatus eſt. Sunt & alia multa perditionis opuſcula, quæ paſsim vendũtur in hominum perniciem. SOPH. Quorũ igitur ſcriptis adhiberi fides poterit? CHY. Solius Hermetis, qui hanc artem à diluuio ſepultam, permiſsione diuina (quod credendum

dum est) restituit. SOPH. Smaragdinam quidem eius legi tabulá, at intelligere minimè potui. CHY. Eamus igitur ad fontem è quo manant fœlices admodum aquæ. SOPH. Precor acceleremus. Video quidem ea quæ sectatus sum antea merè fore Sophistica, nulli usq; momenti. CH. Vides mõtem excelsum ob oculos nobis positum hũc? SOP. Video. CHY. In eius medio Hermes domiciliũ habet. SOP. Bone Deus, vix infrà duos dies eò pertingemus. CHY. Si duo nõ sufficiant, accipiamus tres. Non est quod iter nos tedeat, si calamitatib. nostris poterit imponere finẽ. SOPH. Nõ me tedet alterius quàm impensarum quas nomine meo pateris. CHY. Suscepi lubens, fratrem ita fratri subuenire decet. Appulimus iã ad Hermetis domũ, pulsabo. Hola, fores aperire quæso nobis aduenis, ô Pater optime iube. HER. Qui huc intromitti cupiũt? CHY. & SOP. Duo Chemiæ discipuli huc à centũ & viginti milliarib. venimus, rogaturi vt in filios tuos suscipere nos digneris. HER. Intrate. CHY. & SOP. Salue Pater optime. HER. Adeste fœliciter. Mentẽ aperite vestrá. CH. Celeberrime Pater, eximieq; Doctor Alchymiæ verisimę. Quũ ego iam in tabula tua Smaragdina solùm versatus essem annis quatuor atq; viginti, relictis omnibus aliorum scriptis, quibus antea duodecim an

nos

nos triueram,& fruſtra,ſolùm vnicam in ſermone tuo veridico ſententiã intelligere nequiui circa practicam huius artis excellentiſſimæ præ cæteris. HER. Potuiſti colligere à quota particula practicã incœperim? CH. Puto quidem ab ea quæ ſic habet,ordine quarta nempe: *Separabis terram ab igne.ſubtile à ſpiſſo, &c.* HERM. Optimè iudicaſti,quapropter & breuibus exponere tibi conabor. Separatio noſtra Philoſophica, non ſine partium in toto remanẽtium fit mixtione. Capis iam? CH. Hæc pauca mihi ſufficiunt, ad omne dubiũ explicandum. HER. Quidnam tu fili ſcire cupis? SOPH. Pater humaniſsime,poſt annos circiter viginti quinque,totamque meam & aliorum ſubſtãtiam abſumptam, vt ne tantillum reſidui foret,quo panem emere natis & coniugi,nec mihi poſſem,vnà ſimul fame pereũtibus, ob Alchymiæ quã eo tẽpore toto potiùs ignorantiã,quàm peritiã proſequutus ſum. Et quod magis angebat contẽptus & irriſio,præ cæteris animũ ſic meũ proſtrauerãt,vt relictis patria dulci,natis & coniugi deſperabũdus in ſyluã ab hominũ fugerim cõſortio. Quumq; lamẽtarer in vanũ, eſſetq; nullus qui daret auxiliũ deſperationiq; proximus forẽ, traxit me Spiritus Domini,vt eleuatis in cœlũ oculis, à Deo meo petẽrẽ calamitatib. meis aliquod remediũ. Exaudiuit

me cœleſtis pater, & hunc virum ad me venire voluit, qui conſolatus eſt, meque miſerum expenſis ſuis huc ſecum duxit, vt à te diſcerem errores in hac arte meos corrigere. Fruſtra quidem eo tempore toto quod audijſti, metalla conatus imperfecta ſum ad perfectionem, tingentibus medijs mineralibus adducere. Coloré permanentem nunquam inducere potui, nec efficere quin ignitionibus aliquot periret, metallumque totũ examine Saturnio non euaneſceret. Quamobrem obnixè peto fixationem addiſcere. HER. Audio te Voarchaduniam exercuiſſe, verùm eius ignoraſſe principalia. Dicam ergo quæ in hoc artis proceſſu defecerunt. *Inimicum occide furẽ, ne deprædetur amplius. Capisnè?* SOPH. Caperem, ſi notum eſſet mihi quis ille ſit inimicus & fur. HER. Sulphur hoc ſuperfluum & combuſtibile, quo plurimùm abundant imperfecta metalla. SOPH. Iam video quàm eorum ſcriptis miſerè deceptus fuerim, qui ſulphura ſulphuribus addere docent: ignem igni quod fatuum eſt. HER Nondum habes quod ſatis eſt. *Mortuum hoc, uiuo Patre, uiuificandum eſt poſtea.* SOPH. & CHY. Gratias ingẽtes Pater agimus. HER. Dicite quęſo, cùm iam inopes ambo ſitis, quid proderit vobis hæc ars modò cognita, niſi de potẽtia deduxeritis in actũ? SOPH. & CHY. Nos opulen-

opulentum aliquem assumemus nobiscum. HER. At si primò secundoque fefellerit vos practices nondum contractus habitus, vt pistorem solet excellentissimum nimia furni vel modica nimis calefactio: nunquid erunt posteriora peiora prioribus? CHY. & SOPH. Potiùs operabimur tantisper, donec aliquid superlucrati simus. HER. Ferrea sunt hæc sœcula, quibus victui vix labor ingens supeditare potest. Ego verò misertus vestri, vestrũ vtrique mille coronatos dabo, conditione tamen hac, vt septingentos ad redditus annuos applicetis, & quod reliquum est ad vsus arti necessarios: hoc si nimiũ fuerit cum pauperibus diuidatis, ne cuiquam sitis oneri, nec risui prout antea, minùs contemptui. CHY. & SOPH. Gratias immensas Deo primùm agimus, demumque tibi fidissimo desolatorum Patri, benignissimoq;. HER. Este prudentes, ite, valete.

CHY. Quidnam tibi de Patre nostro videtur? SOPH. Miror sanè liberalitatem eius, cùm in arte sua, tùm in opibus. CHY. Sic solent omnes facere, qui artem hanc assequuti sunt, egenis videlicet opem & auxilium ferre. SOPH. Si hanc artem assequutus fuero, Deo dante liberalitatem eius in pauperes atque desolatos imitari conabor. At ego per te quidem ista habeo, tua sunt, accipe quod

voles. CHY. Abſit, vtere, fruere his quæ tibi Deus dedit. SOPH. Saltem ea quæ in mei gratiam expoſuiſti. CHY. Hoc non renuo, nam & alteri fortaſsis eo ſubuenire potero. Mox ad vxorem & natos vterq; noſtrûm ſe conferat, cautiorque fiat in poſterum. Vale, memor eorum quæ docuit Hermes. SOPH. Huius & tui nunquam immemor futurus ſum. Gratias agens, & tibi vale dico.

Finis Secundæ partis.

ARTI

ARTIFICII CHY=

MISTICI PARS TER-tia, *Mineralem Genealogiam continens.*

PROLOGVS.

TRIA ſunt quæ potiſsimùm deſiderátur ab hominibus in hoc mundo, nempe Diuitiæ, Sanitas, & Sapientia. Verùm quod vix vnus eorum qui hæc optát cognoſcere potuit hactenus, & ſi literatiſsimus, in quibus iſta ſita ſint, aut reperibilia, fermè nulli reperiuntur, qui ſuum optatum aſſequuti ſint. Quandoquidem illi qui ſuo labore diuitias ob honores, auaritiam, aut aliàs ambiunt, quò magis abundauerint his, ea via plus etiam ſitiunt, inopibusq; patientibus & ſpretis pauperiores exiſtunt, ac viliores coram Deo. Qui verò Sanitatem corporis anxiè nimis diuerſitatibus medicaminum quærunt, confuſiùs naturalem vnioné atque proportionem partium vitæ ſoluunt: cum earum vnione per unionem, uitæ fortificatio conſiſtat. Et qui Sapientiam in ſcriptis hominum quantumnis elegantibus,

& ſubtilibus venantur,quantò his doctiores euadunt,tantò profundiùs merguntur in tenebras. Quapropter nullus horum ſemitam rectam ingreſſus, ad ſcopum eorum quæ petit peruenire poteſt. Inde fit, vt ſub labyrintho ſemper cæcutiant, qui priuſquam nouerint quid & in quo quærendum ſit, ante verum tempus currunt. Viſum eſt igitur oſtendere viam illis qui mundo corde ſunt,ac iſtis potiùs ad mentem quàm ad corpus vti cupiunt, è re fore Chriſtiani hominis. Quãquam etiam in mẽte verſari debent illa quæ diximus,nihilominùs quòd in corpore verſemur adhuc & nos, ab eo ſumendum erit initium per vnicum,& non plura medicamẽta. Porrò ſapientia noſtra,quam quærimus, ad hunc ſcopum dirigitur, vt corpus noſtrũ corruptum,eius ablata corruptione per Medicinam vnam, vnà cum ſua mente ſic vniri queat,vt non ampliùs vanitatem ſitiat. Corpore namq; per vnionis Medicinam repurgato, mens eius ad Veritatem cognoſcendã abſq; impedimento quouis diſponitur:inde ad amorem Dei, dilectionemque proximi:tandem ad veram Sapientiam,in qua Diuitiæ continentur æternæ,mentisque Sanitas in corpore ſano. Quicunque igitur medicamentum hoc tribus tractatulis deſcriptũ noſtris, quorum hic eſt poſtremus, inuenerit,

rit, ſoli Deo ferat acceptum oportet, non hominibus, neque ſuis laboribus: aliàs etiam id quod habet auferetur ab eo. Nec eſt quod ob Allegoriæ tractationem huius, ſub rudi ſermone conſcriptam, abhorreat animus à lectura. Nam ſub Sapientia, quæ videtur hominibus maxima ſtultitia, Sapientiam ſuam concluſit Altiſsimus, vt qui mundo ſapientes fore videntur, verè ſtulti ſint, & è contrà, quos mundus iudicat ſtultos, verè ſapientes, vt Chriſtus & Apoſtoli ſui fuêre. Non etiam ſub verborum elegantia, ſed Veritatis ſimplicitate, Spiritus S. conſcribi voluit Euã gelia. Nec à Philoſophis, aut mundi Sapientibus, at ab hominibus vt columbæ ſimpliciſsimis, & mechanicis, qui ſuas literas non in Gymnaſijs, ſed à Spiritu S. didicerunt. Ex eo conſtat Veritatem ſimpliciſsimo delectari ſermone, quòd plerunque fabulæ palleari ſoleant huius elegantia, veræ tantùm vt appareant. Sic etiam in medicamento hoc vnico deſcribendo, viſum eſt omnibus qui notitiam eius aliquam habuerunt, verborum hac vti ſimplicitate, ne ſub elegantia latere videretur aliquod mendacium, at potiùs ſub vilibus & ſpretis Margarita, neuè ab indignè quærentibus inueniretur, ſed à veracibus. Quid retulerit enim, & ſi nos Moroſophos appellarent Morologi Philoſophi, quòd ſub

Morosophia, seriam ueramq; tractemus Philosophiam? Nunquid potiùs fuit quàm sub Philosophia Morologiam comprehendere? Quid etiam curamus, quum nos Barbaros, aut Idiotas fore loquuntur illi, qui nil præterquàm inanem uerborum elegantiam habent? quam anxiè dum prosequuntur, fugit eos res ipsa Veritas. Quòd si hæc uidetur eis tractatio stulta fore, procul ab ea fugiant. Nã in ruinam est incredulis, probis uerò pijsq; uiris ad salutem à Deo posita. Hæc à me tantùm dicta sunt, ut manifesta sit eorum Sapientia, qui reprehendere conantur calumnijs ea, quæ non rationibus ueris possunt, quia non intelligunt. Non optaremus potiùs, quàm operibus & signis Philosophicis cum istis contendere mordacibus. At quod operari nihil ex Philosophia quàm loqui norunt, uerbis tantùm iniurioſis nos aggrediuntur artem hanc improbantes, quam etiam ignorant.

IN

IN ALLEGORIAM HANC ARGVMENTVM.

TITAN *cum Oceanitide ſua coniuge, filios quinque, filiasq; duas contraxit, natu maximum nomineq; Sollicitum, poſt quem ſucceſsit Rudis, poſtea Latus, demum Iratus, & quintò Facetus fratres: quibus duæ ſorores extiterũt, Vana prior, & Aſſidua poſterior. Sollicitus quod Sorbonem Gymnaſiarchum, & ſuos Collegas ſapientia ſuperaſſet, horum perſuaſione tamquam ſtultus induitur à Patre. Quod Sorbonum aſtutia factum eſt, puero fortaſsis ea quæ celata perpetuò uellent, in uulgus proferenti, ne fides quam ſtultis adhiberi ſolet maior adhibeatur. Rudis autem, electione propria factus eſt Agricola. Concionator uerò Latus. Iratus Carbonarius, & Facetus Aulicus. Ob interpellatam à Sollicito concionem Sorbonis, cum Faceto fratre ſuo per fraudem hæreſeos accuſatur coram Principe nec non populo: datis etiam Bibone, Quadrælamboq; falſis teſtibus. Relegatis autem à Principe, dolum Sorbonicum, hoc non ignorante Pueris, ut Pax inter ciues illæſa foret, induſtria Nymphæ cuiuſdam poſt annum redit uterque Rex biceps iã factus, & manu dextra poculum Sanitatis, atque*

Diuitia-

Diuitiarum altera ſceptrum geſtans. Vindictam uidit Facetus de ſuis inimicis, ac fratris à Veritate ſumptã: non priùs tamen quàm Sollicitus Patrem atque Matrem grauiſſimis decumbentes morbis ob filiorum exilium, & ab omnibus Medicis incurabiles relictos, curaſſet: eosq; Facetus alios q; Parentes & Amicos innumeris ditaſſet opibus: fratres uerò ſororesq; Reges, & Reginas coronaſſet. Cuius hiſtoria Parabolæ, non paruam adfert naturæ ſtudioſis abdita perquirentibus intelligentiam.

COL-

COLLOQVIVM

QVO TITAN PATERFAmiliâs, Oceanitisq; Mater, de ſua prole conſulunt.

TITAN.

O Chara mihi ſocia coniunx, nati nobis quinque grandiuſculi, iã artificio quopiam omnes meritò ſunt inſtruẽdi, ne fortè nobis vita functis mendicare cogantur. Et ſi contingat ex dono Dei proles amplior, fratres poſtmodùm ſororesuè prouehere ſuis laborib. vnà cùm ſuis vxorib. natisq; proprijs qui ſeniores erũt, valeát. OCE. Optimè rem perpendiſti. Verùm conſiderare te priùs oportebit, quodnam opificium cuique ſit vtilius. Tot ſunt enim hoc ſœculo mechanici, vt vix propter alterum alter quiuis poſsit viuere. TI. Faxit Altiſsimus, bonæ quidem voluntatis panem tribuit omnib. Non poteſt obeſſe copia boni, quod ſiquidẽ vni loco ſuperfluum eſt, alteri quandoq; deficit. Hoc ſolùm cupio, vt eam artem addiſcant

ſcant, ad quam natura potiſsimùm inclinati ſunt, & non aliam: ſic enim ſolent Artifices in ſuis artibus alios excellere. OCEA. Quod voles fiat, vocentur, & ab ipſis mentem eorum perquire. TIT. Adeſte Pueri, paucis vos volo. PVERI. En adſumus Pater chariſsime. TIT. Iam tempus & intellectum eſtis à Domino Deo conſequuti, quibus ad artem aliquam addiſcendam aptos fore vos conſpicio. Non poſſum enim ad otium educare vos: ego Materque veſtra ſumus etiam ad labores nati, quid aitis? PVERI. Prompti ſumus obedire Pater obſeruandiſsime, chariſsimaque Mater. TITAN. Conſiderate primùm cui vosipſi libentiùs arti veſtram impenderetis operam per ſingulos vitæ veſtræ dies, non cupio vos in eo conſtringere. Nam decet Artificem operari libenter & ſponte ſua, non inuitè. Quindecim dies relinquo vobis, vt quiſque maturè ſatis deliberet interea, ſuamque faciat electionem. Spiritus Altiſsimi det quod ſit ad gloriam eius, veſtrique ſalutem, ite in pace. OCEAN. Placet optimè quod hilari vultu recedant, nec ægrè tulerint: boni quid ominis inde video. TITAN. Nonne tu, quæ frequentiùs apud ipſos degiſti me, nonnullis indicijs percipere potuiſti quibus rebus ludendum inter, aut

aliàs

aliàs intenti fuerint? OCE. Natu maximum Sollicitum, animaduerti ſæpiùs in ſomno de rebus grauiſsimis diſceptantem, vigilantéq; tacitè muſsitare ſemper, ac ſiquid moliretur ardui. Rudem in horto perpetuò degentem reperio. Lætum audio ſæpiſsimè canentem Pſalmos Dauidicos. Iratum aſsiduò ſtruentem ignes reperio. Facetum verò nobilium geſtus repræſentantem, quaſi Tragœdias ageret grauiſsimas admirata ſum. TIT. Tace nihil horum illis dixeris, ſine facere per ſe quod in his volent. Interim animaduerte ſedulò quid agant, mihiq́ue ſecretò refer omnia. OCE. Ita fiet. TIT. Quid filiæ? OCE. Pectine, ſpeculo, mundandisq́ue veſtibus, totos dies Vana terit, quàm nere, ſuere, vel rem agere domeſticam nihil ægriùs ferre poteſt. TITAN. Præueniendum eſt, dum adhuc tenellæ fuerit ætatis, ne grandiuſcula grauiùs admittat verbera. OCEAN. Non deſunt iſta, nec efficiunt quod volo. TITAN. Voca me quum opus eſſe videris. OCEAN. Crudè nimium cedis. TITAN. Satiùs eſt flere prolem, quàm deplorare Parentes vitia quæ committit poſtmodum, ob nimiam indulgentiam, vel caſtigationis potiùs negligentiam. Virgæ non dilaniant ad membrorum diſſolutionem. OCEAN. At in iſtis, vt in cæteris modus eſt obſeruandus.

TIT.

TIT. Noli hac de cauſa quin mihi ſignifices omittere, ſi tibi uirgisque tuis obtemperare nolit. Non ita ſum ignarus, quin mihi temperare norim dum oportet: maximè quod ſciam puellas magis teneras fore pueris, atque delicatiores. OCEA. Faciam, experiar quàm in caſtigando ſis prudens. Non enim ita Matrem filij filiæque metuunt, ac Patrem. TITAN. Quamquam Patrem filios, Matremq; filias oportet regere ac inſtruere, nihilominùs & caſtigatio decet vtriuſque prolis vtrumq; Parentem. Pro tua parte non indulgeas. Quod præſtare per te non poteris, aut vbi vires deficient, mihi committas. OCE. Non ſemper es prę manibus. TI. Quũ rediero domum indica ſaltem. OCEA. Verùm dum candet ferrum, eſt cudendum, nõ vbi refrixerit. TI. Non ita cum prolibus, imò contrà, ſatiùs eſt caſtigare frigido ſanguine prolem, quàm feruenti, ratione duplici. Priore, quia meliorem ſeruare modum cedens poterit, ægriusque vapulans inopinata ferre verbera. Nam pręuiſa minùs iacula feriũt, quò fit vt poſtea magis metuant. Niſi reprimatur Vanæ uanitas periculum adeſſe uideo, ne grandior procos admittat facilè, noſtri maximam in ignominiam. OCE. Hoc ſi futurum ſcirem, iam̃iam illi guttur, uti palumbo ſolet, abiecta pietate ſtringerem. TI.

Nec

Nec ea crudelitate si prospexeris opus habes. Domum exire sine te non permittas utramque: quod optimum est remediũ, cum cæteris ut admonitionibus, ad pietatem & honestatis obseruantiam. Otium eis fore nullo modo permittas: nam illud est ut omnis uitij, luxuriæ potissima radix: alia uentris nimia repletio: tertia vestimentorum & & ornatus excessus. Verùm quid Assidua? OCE. Ollas fricare, terere patinas, & verrere pauimenta nunquã cessat. TI. Bone Deus, alteræ prorsus cõtraria cõditio. Bona Materfamiliâs (Deo fauente) futura est hæc. OCE. Itidẽ spero: nam vestiũ ornatũ prẽter necessitatem negligit. TI. Nõ minor est nobis adhibenda, vt hæc in sua simplicitate conseruetur, ac vt retrahatur altera soror à sua vanitate, cura. Quapropter ne peristius exemplum altera corrumpatur, ad huius imitationem vt exhortetur oportet. OCE. Assidua sororẽ assiduè vanitatis & otij corripit. TIT. Benè est, & ipsa tu simula te magis affectam Assiduæ quàm Vanæ: licet in corde tuo sit vtriusque par & æqualis amor. OCE. Pœnitet certè quod nomen hoc in Baptismo sit inditũ illi. Nam sanè vidẽtur & mores eius ac vita penitus ex diametro correspondere. TI. Tace precor, in cor tuum nõ intret superstitio. Puras tu fatua nomẽ ad Baptismum aliquid

addere, vel eius esse potẽtiæ, ut inclinare valeat personam, cuius est nota sola discriminis inter alios? OCE. Vides tamen Assiduam vita, moribus quoque referre nomen. TI. Casu quodam id factum putes. Nonne probo nomine signati sunt baptizãdum inter, qui nequissimè vixerunt, contrà qui turpi nomine vocati, piè sanctéq; vitam egerunt in finẽ vsque? Valeant istæ futiles opiniones, Deoque soli seruiamus, non somnijs hominum, quantò minùs ipsis. At reminiscor termini quem præfixeram filijs in optionem, nunquid adest, an præterijt? OCEA. Æquè heri decimusquintus dies abijt. TIT. Pueros ad me venire iubeas. OCEAN. Pueri, Patrem adite, vos enim vocat.

Interloquutores Titan, Oceanitis, Sollicitus, Rudis, Lætus, Iratus & Facetus.

PVERI.

ADsumus obseruãde Pater, quid iubes? TIT. Absolutum est iam tempus, quo de suo quisque vestrûm exercitio debuit electionem facere. Maturè deliberastis, animoq; vestro firmiter infixistis, ac resoluistis, ne postmodùm tardè pœniteat? PVE. Fixè resoluimus Pater. TIT. Sollicite qui natu maximus es, primus esto. Dic animo deliberato, quod

quod exercitium ad vitę ſuſtentationē optā ſti? SOL. Sapientiam addiſcere cupio. TI. Optimè, dum ad eam aptus exiſtas: At ingenti copia pecuniarum hæc iam vix comparatur. SOL. Nolo Pater vt ea de cauſa pro me vel obulum exponas. TI. Quî ſic? Vicinus hic noſter à dextris pro filio Doctorādo plus quingentis aureis expoſuit: an adhuc Sapiens euaſerit minimè conſtat. SOL. Mea nō intereſt, modò libros legere Sapiētiæ poſsim, ſat mihi pro principio quodam erit. TI. Lectūrā addiſcere librorū poteris, & ęre ſatis exiguo ſed latinè, an vulgariter? SOL. Nō refert quo ſermone tractetur Sapiētia: Verùm quia hoc tempore cōmuniùs Latino ſermone ſcripta reperitur, is mihi cōmodiſsimus foret. T. Sor bonū igitur Gymnaſiū erit adeundū. S. Quocunq; voles Pater. TI. Rudis adeſto, quod cupis exercitium exercere tu? RV. Agriculturā. TI. Primum hoc fuit hominum exercitiū: at conſideraſti priùs quod ingentis & intolerabilis penè laboris exiſtat? RVD. Scio Pater: at genus hoc hominū fœliciſsimè viuere video licetq; multis inſudet laboribus, vita ſanū, & plerunq; diutiùs viuit illis, qui delicijs vitā & otio trāſigunt. T. Vera loqueris: at vide ne laborum tedio fatigatus poſtea te pœniteat. RV. Minimè Pater iſtis hominibus labor eſt requies, & è cōtra hæc labor maximus vbi

nimia. TI. Mirum hoc foret. RV. Omnis assuefactio iuuentuti potissimùm est altera natura. TIT. Vnde hæc habes, nunquam enim expertus es aliquem laborem? RVD. Audiui sępiùs rusticos hac de re differentes, quos animaduerti statu suo plurimùm esse contentos. TI. Post crapulam idipsum illis euenire solet. Verùm vbi census Dominis persoluere necessum est, aliàs loquuntur. RV. Quicquid sit, illis deficere nũquam aut rarò visum est. TIT. Diuitibus quidem rusticis, aut villicis, pauperibus autem quid? RV. Et illis in pagis labor non deest, quo sustentari queant. TI. Nec Oppidanis, modò libenter operentur. RVD. Profectò Pater his diebus aliquot Artifices bonæ voluntatis vidi, qui per totá ciuitatem operis conditionẽ sui quærentes, & nullá inuenientes, mendicare coacti sunt, quò perijt in me quoduis artificium præter Agriculturam addiscendi voluntas. TI. Hoc illis euenire solet, qui vagabundi solùm, & nondum artis periti, varias petunt regiones perdiscendi causa. Verùm ciuibus & residentibus non. RVD. Salua pace tua mi Pater. Est hîc quidam noster vicinus & sartor, qui medio temporis anni spacio quiescere cogitur inuitus, quòd eius opera non vtantur homines. TIT. Fortè suam artem non vsque adeò callet, aut bibit, vel otiatur, quàm laboret libentiùs.

bentiùs. RVD. Vir eſt omnino ſobrius, diligens, artisque ſuæ peritiſsimus. TIT. Firmiter Agriculturam in animo hærere tuo video. Faxit Dominus Deus vt probus & patiens algoris atque ſudorum fias Agricola. Tu Læte, quid artis elegiſti? LAE. Verbi Dei Præconem agere cupio. TI. Pium eſt officiũ & ſalutare, quibus exercere iuxta præceptũ Dei contingit. Quid ad eam conditionẽ te mouit? LAE. Quòd nulla videam alia ratione meliori me Deo placere poſſe. TI. An fortè putas hoc te ſaluum fieri? LAE. Minimè gentium, ſed quia primum hoc ſtudium viro mulieriuè cuiuis fore debet, vt gratiam & pacem cum Deo proximoque habeat. TIT. Quis hoc te docuit? LAE. Chriſtus, inquiẽs: Primùm quærite Regnum Dei, & omnia adijciẽtur vobis. TIT. Nunquid & Mechanici hoc ipſum facere poſſunt? LAE. Imò cùm datum fuerit illis à Domino, ſed occupatiùs quàm ipſi Concionatores, qui nullis alijs turbantur negotijs. TIT. Perpendiſti etiam exigua fore Miniſtrorum Dei mundana ſtipendia, quibus vitam caducam familiæ ſuæ ſuſtentare vix valent? LAE. Non ignoro Pater hoc, & ſi nulla forent, ſicut nec Apoſtolis fuére, non propterea fame perirent, vt pollicetur Chriſtus his verbis antea dictis: Et omnia adijcientur vobis. TI. Studere te priùs

oportebit. LAB. Absq; dubio. TITAN. Hac de re consulam Dominum Cõcionatorem. Interea mecum ora Deum, vt hosce tuos conatus ad suam gloriam, tuiq; salutem si fuerint, prouehere velit, Amẽ. Irate veni huc. Tu quid exercere cupis? IRA. Carbonariam artem. TIT. Deus bone, viliusnè potuisti quid optasse? Quî te sordes istæ delectare potuerunt eas vt eligeres? IRA. At non sordescunt pecuniæ quæ his acquiruntur sordibus. TI. Audio quiduis aggredi velle te causa lucri. I. Considerauì Pater, ad hanc artem exercendam non opus esse multis, præterquàm securi sola, qua ramis tundantur arbores. TITAN. Res planè ridicula mihi videtur. IRA. Audi precor mi Parens: Erecta lignorum cõgerie, lutũ quo tegi debet nullo pretio prorsus emitur, nec etiam ignis ligna succendẽs. Labor hoc loco solũ exponitur, totaq; pecunia lucrum est. Non ìta cum cæteris artibus. Indiget farina Pistor & lignis, quę cogitur emere: Corio Calcifex: Auro & argento Faber argentarius, vt interim diuersa prætermittã instrumenta: sic de reliquis. TITAN. Non ita fatuè, prout antea putaram elegisses, ni sordescceret negotium. IRA. Magis alia sordent opificia: Lanionum vtpote, Coriariorum, &c. TITAN. Et tu confirmatus in optione tua mihi videris, Probum te magis quàm

quã nigrũ Carbonariũ Deus efficiat precor! Facete, quid operis elegisti? FAC. Mi Pater, Aulam ego sequi plurimùm desidero. TIT. Post vile nobile sequitur hoc loco negotiũ. Tu qui postremus es omnium, natuque minimus, ex ciue nobilis fieri cupis? FACET. Quid ni Pater? quocunque se direxerit hominis industria humanis in statibus, diligentia summa peruenire potest eò, præsertim à Deo & natura quum adiutus fuerit. TITAN. Opes non habes quibus hunc statum prosequi valeas. FAC. Acquiri possunt hac via non secus ac artificijs. TITAN. Vides tamen plurimos qui per totam iuuenilem ætatem in Aulis educati sunt, pauperrimam in senectute vitam agere duriùs illis, qui semper inopia pressi fuêre. Nam isti melioris inscij sunt, illi verò dum vescuntur oleribus, & macris domi, non sine mœrore maximo lauticiæ pristinæ reminiscuntur. FACE. Ignauia sua factum est, vt ex Aula nihil reportarint lucri. Quia coquinæ magis & ventri quàm Aulæ fuerunt intenti. TIT. Vide si veneris eò ne te seducat etiam cum cæteris venter. Nam delicatæ boli, calicesque suaues Magnete plus attrahunt. FAC. Nisi ex Aula Principis ad Regiam peruenire spes foret, nõ adirem. Aliud quàm intestina replere cupio.

TIT. Faxit Rex Altiſsimus vt ad eius Aulam aſcendere queas, & nos omnes vnà tecum ſimiles fiamus Aulici. Fœliciter itote Gnati, Matremque veſtram ex meo præcepto huc ad me venire iubetote. PVE. Mater chariſsima, te Pater ad ſe venire iuſsit. OC. Quid cupit? PVE. Ignoramus. OCE. Marite mi, quid eſt quod me voces? TIT. Audi quæſo quæ Gnatorum ſint electiones. OCE. Quæ precor? TI. Diuina. OCE. Nec Vates, nec Oedipus, Oceanitis ego ſum. Eſt quod mihi referas, ſi reſcire me cupiueris. TI. Sollicitus fieri vult Sapiens. Rudis Agricola. Lætus Concionator. Iratus Carbonarius, & Facetus Aulicus. En habes eorum conſilia. OCEA. Bone Deus. Hęc eſt eadem, quam inter ſeſe rixantes nudiuſtertius agere Tragœdiam, nec intelligere potui quid vellēt. TI. Recita precor. OCEA. Rudis Sollicitum ridens, forenſem Doctorem appellauit. Sollicitus eum ex aduerſo Ruſticum. Ad hæc Lætus adiens increpauit vtrumque dicens, non decere fratres vt vnus alteri Racha diceret. Cui Rudis ait. Vnde nobis Paganus iſte Sacerdos prodit? Acceſsit Iratus, & interrogauit alios quidnā rixæ foret inter eos? Sollicitus conuitioſas Rudis narrauit iniurias. Vultis nè (dixit Iratus) putridæ huic buccellæ viginti colaphos impingam. quibus fœtidum hoc illi claudatur os?

turos? Facetus tandem superueniens, vbi rem edoctus est, Rudi, sic breuibus inquit: O Subulce, tuos porcos adi. Respondit Rudis breuiùs. Hinc abi tu Caulice. Coacta fui postremò virgis intercedere minitãs, nec eos sedare priùs potui, quàm dicerem tibi me relaturam. TI. Quare igitur non retulisti? OCE. Si quid per singulos dies inter se rixarum habent narrare tibi deberem, non esset otium, nec aliud opus mihi reliquum. TI. Videmus eorum electiones probè suis cuique morib. correspõdere. Naturam ipsam alienare, quæ non vergit in vitium, pueris non est conueniens nec vtile. Nam si de naturali mechanico, Doctorem efficere Parentes velint, Asinũ habituri sunt, & meritò. Pariter si de naturali Doctore Mechanicum, otiosum efficient operarium & inutilem. Hinc fit, vt ex vtraq; parte multa videantur huius generis hominum, potiùs quàm homines vera monstra. Faxit Omnipotẽs quod sit ad gloriam eius. Bolum aut aleam ego iaciam, prosperam esse futuram spero. Nihil eo magis rem ipsam morabitur, quàm in Aula, nec in Gymnasio nullam cum eis qui versantur in huiusmodi locis mihi hactenus amicitiam interfuisse. OCE. Inter amicos nostros non deerit vnicus vel alter, qui notus existat istis hominib. perquirendum erit. TIT. Scio quid faciam.

Sollicitum qui primus promoueri debuit postremo reseruabo loco. OCEAN. Quod lubet esto. Sic à Rude fuerit incipiendum. TITAN. Rectè, me rectà conferam ad Villã, & amicum Demogorgonem, longo iam tẽpore mihi familiarissimum rogabo virum, vt si Villicum qui puero hoc opus habeat, vt ad rem colonariam vtatur, eumque doceat artem, indicare velit, in eoque fauere quod possit. Rudis, itineri te mecum accingito. Videamus an aliquis Rusticus Coloniam docere te volet. RV. En præsto sum Pater, eamus. Vale Mater chara, vos quoq; valete Fratres atque Sorores. OCEA. Sine te priùs osculer, quàm abeas. Dilectissime fili vale, sisq; probus, vt Parentibus, Fratribus, Sororibus, ac tibi nullam compares ignominiam. Iterũ hoc osculo dato mi Gnate vale. RV. Prosperè valete omnes.

Titan, Demogorgon, Marchasit is & Rudis, Interloquutores.

TITAN.

SAlue mi Demogorgon amicorum vetustissime. DEM. Rarus admodum hospes, ô Titan optatissime semel quod sæpiùs rogaui iam adimpleuisse te gaudeo, nempe vt rusticos Lares hos inuiseres. T. En adsum im portu-

portunè satis. DEMO. Non nisi gratissimè. TI. Miraberis opinor, si causam aduentus huius tibi narrauero. DEM. Quî sic? TI. Coõgit me necessitas. DEM. Et non Amicitia? TI. Vtrumque, sed audi quæso. Filijs vitæ statum electionẽ dedi. Hic autem qui natu post maximum primus est, Agriculturam optauit addiscere. Quapropter huc partim ad te venio consilij, partim amicitiæ causa, vt si Vicinum in hoc Pago, vel amicum in alio Villicũ habes, qui puerum recipere velit educandũ atq; docendum, quodcunque fuerit opus erogabo. DEM. Leue nobis hoc erit negotiũ. Intra saltem, & genio mecum hodie precor indulgeas. Prosper nobis adsis cum filiolo. TI. Ingẽtes agimus tibi gratias. At expediamus puerum priùs rogo. DEM. Iamiam expeditus est. TI. Quid audio, spem eius hic fore nullam existimas? DEM. Imò plurimam. Non est quod quæras vlteriùs, Puer hic mihi loco filij cum proprijs erit, si voles tamen. TITAN. Eum ne tu? DEMOC. Audisnè? TI. O Deus optime, nihil optarem potiùs. Dic igitur quid numerabo singulis annis? DEMO. Hac de re loquemur postea. Mensam adeamus, & bonis quæ Deus dedit in escam, fruamur cum gratiarum actione. Pueri, socium Rudem tractate vestrum. TITAN. Lautè nimiùm nos excipis.

DE.

DE. Non possum tam varijs obsonijs, ac vos in ciuitate, meos hic amicos excipere. TIT. Quid loqueris? ferinis carnibus caremus, nec nisi vos adferatis habere possumus. DE. Si pecunias pro his exponere cogeremur vt vos, æquè nobis rarae forent. Sed venatione sola, quum alia non sunt nobis rustica negotia comparamus. TI. Fœliciùs nobis viuitis. DEM. Hac in re fatemur, at propter milites, qui nos indies vexant, estis vrbani fœliciores. TI. Verum est. Quo nos tuti sumus, exposiți vos periculo, compensat ex aduerso rerũ abundãtia, quarum penuria laboramus. DE. Quicquid habemus tamen ad ciuitatem defertur. Pueri, postquam sederitis, ac ederitis, ad pascua præparate vos, & Rudem assumite. Canem illi date proprium Venalupum nomine, clauam quoq; pastoralem, qua glebulas terreas in oues eijcere valeat à grege deuiantes, acludere vobiscum iactibus quoque certare mutuis, caracteribus insculpere terram fodereque. Collo suo peram appendite cibariam pane duplici munitam, vt cani det quod suum est. Caseum, pyra, poma, nucesque date Rudi, & in omnibus æqualiter diuidite secũ, & vt fratrem diligite. Hoc meum est præceptum, atque voluntas. PVE. Fiet Pater, Eamus Rudis. RV. Sinite Patri vale dicam, inde mox venio vobiscum. Vale

mi

mi Pater. TI. Vale fili mi. Probè fungere tuo officio. DE. Cras illi vale dices ô Rudis, hodie noctuque nobiscum erit. TI. Ignosce precor, est domi quod agam, tum vxori sub vesperam dixi me rediturum. Quod ni fieret, aliquid siniſtri nobis accidisse in itinere suspicaretur. DE. Mittam famulum qui nuncietilli omnia. TIT. Non est opus. Iam paciscamur de filio. DEM. Pacta sunt omnia quæ tecum inire cupio. TIT. Narra precor. DEM. Tres habeo filias, Nigram, Candidam & Flauam. Natu maximam Rudis loco, tuæ coniugi educandam si voles dabo, ne quid illi sit imminutũ de familia. Crasq; te comitabor equitem eques. E' duodecim quos habeo (laus Deo) pulcherrimum & optimũ equitádum tibi dabo. Filiam ego post tergus deferam. TI. Quæ obtulisti placent, vt ea quæ iam à plurimis annis inter nos fuit amicitia foueatur crebriùs. Sed vnicum hoc abs te peto, vt coniugem tuam assumas nobiscum ad urbem: Ego filiolam equo deferam. DE. Nõ bene possumus ambo simul abesse domo. Verũ si uenire cupierit, & mihi placet quod petis. Adesto Marchasitis. MAR. Quid cupis Demogorgon? DE. Cras nobiscum ad urbẽ uenias oportet, Oceanitidem inuisas, & filiá Nigrá illi pro filio Rude præsentes. Ita uult amicus noster Titan. MAR. Nil sanè libẽtiùs facerem.

facerem, at scis, quum absis, vt sim domi foꝝ re necessum. DEMOG. Scio, sed amici causa quid non fiet? MAR. Esto quod cupitis. Interim donec rediero, Sororem vt rei domesticæ nostræ curam habeat, rogabo meam. DEM. Rectè facies. Titan, venatum ibimus quod sit nobis in cœnam hoc vesperi. TI. Placet eamus: at eius rei sum penitùs ignarus. DEMO. Non est quod facias aliud, quã nos agentes animaduertere, delectarique. Famuli parate quæ venationi sunt necessaria, retia, canes, & alia quæquæ. Præsto sunt omnia iam, eamus. Ad dextram tendite retia. Nam ad aquas à meridie se conferre, postmodùm in umbra degere Ceruos animaduerti sæpiùs à sinistris. Ab ea parte cacies soluemus urgebimusque. Manete uos hîc, & si quid effugere conabitur, euitato. Videsnè mi Titan unum atque alterum Ceruum sub arboribus hac in ualle pascentem? TI. Video pergrandem & cornutum admodùm. DEMO. Spero nobis prædam ut cœnemus utrumque futurum, aut saltem alterum. Tu paulatim sequere nos Titan, & eisdem clamoribus quos edemus utere. Laxabo canes. Ha, ha, captus est ha. Deditin re‹‹ tia minor, tenetur cornibus. Euasit eximio ‹‹ saltu maior. At hic nobis hac uice datur. Alter si non alijs destinatus est, aliàs fortasse no

ster

ster erit. Arcete canes ô uos ne pellem dilacerent. Lancea pectus perforate: mortuus est, curru domum uehite mox, & excoriatum in quatuor secate partes. E duabus anteriore posterioreque cœnam parare dicito coniugi iussisse me. Duas partes residuas ad Oceanitidem cras portabimus. Instat uespera domum ibimus Titan. Quî tibi negotium hoc arridet? TI. Iucundiorem hac uita nullam existimarem. DEMOG. In eo tota non peragitur. TI. Scio quidem, sed laborum hæc subleuamina, suprà quod iucundissima sunt & utilia. DEMOG. Acto iam exercitio cibum cum appetitu sumemus atque potum. Marchasitis, præparasti cœnam? MARCHASI. Vix semel aut bis pomerium obambulare potestis, quin parata sit. DEMOG. Eamus igitur Titan, & uidebis hortum. En pomorum genus omne fruticum & herbarum. TI. Paradysum terrestrem possedisse uidemini. DEMOG. Terra quæque suum cultorem delectat. TI. Imò quod magis est, maximè ditat. DEMO. Nõ semper, sed quum uult ille qui crescere iubet omnia. MARCHASI. Pueri Titanem & Patrem ad cœnam uocate. PVERI. Vocat vos Mater ut cœnetis. DEMOG. Redijt Rudis è pascuis? PVERI. En adest. DEMOGOR. Quî tibi pastorale placet exercitium?

RVD.

RV. Optimè. TIT. Cras ad urbem redeundũ eſt tibi mecum. RV. Sine Pater hîc maneam precor. DE. Tace fili manebis apud nos. TI. Si manere uis, obediẽdum erit tibi táquam ipſi mihi, Domini tui Demogorgonis imperatis omnibus, aliàs eijciet te foras. RVD. Obediam ſedulò Pater. DE MO. Patrem uocet me uolo deinceps, uxoremque Matrem, hos Fratres, puellasque Sorores: pariter & nos ipſum uocabimus Filium. TI. Itidem de Filia tua faciemus. Poſſent etiam effectus affectibus correſpondere. DE. Per me nõ ſtabit, quin ex Rude & Nigra matrimonium fiat. TI. Rem ipſam accepto, manum en meã habes in ſignum fœderis huius inter nos iã initi. DE. Poſt cœnam hac de re latiùs, & Matribus loquemur præſentibus. Accumbe Titan hoc loco. TIT. Domeſticum primus decet locus, non peregrinum hoſpitem. DEM. Fac ſaltem quod uolo modò, faciam & ego quod iuſſeris in ædibus tuis exiſtentem facere me. TI. Conditione hac obediam. DE. Fercula dato Marchaſitis, iã ſedemus. Orate Pueri. PVE. Qui cuncta dedit in uſum hominis, cibum atque potum hunc nobis eſſe ſalubrem faciat. Amen. DE. Hic altero maiore ceruulus charior eſt mihi. TI. Facilè credide rim, hoc potiris, & non altero. DE. Non hac de cauſa puto, ſed quod longè teneriores

atque

atque delicatiores Hinnulorum, quam Cer uorum carnes exiſtant. TI. Nil præter Cer- uos habet hæc ſylua? DE. Maximè, Caprio- los, Damas, Apros, Lepores, & genus omne ferarum atque cicurum, ſuis temporibus ta- men. TI. At miror ſi vnicuique venari liceat in ea? DE. Minimè, ſed mihi, quod venator Domini ſim eius: nec per totam ſyluam, ſed ab vna parte ſolùm quã vidiſti. Obligor hac de cauſa, quum ad venationem ire delectabi tur Dominus, cõgregare Vicinos, & ordina- re quæ neceſſaria ſunt. Verùm ſi quid præ- dæ fecerim, partem eius, vt æquum eſt, ad eũ defero vel mitto. TI. Nunquid partem hu- ius dediſti? DEM. Non eſt domi, nec Vxor e- ius. TI. Vbinam ſunt? DE. In vrbe ſolent a- liquando morari. Palatium in ea poſsident egregium. TI. Rectè poteris illi quartum v- num aut alterum deferre cras. Ego vos vr- banis excipere ferculis volo. DEM. Faciam profectò: non conſiderabam illi gratiùs iam in vrbe degẽti futurum quàm hîc apud nos. At Oceanitidi præſentare volui. TI. Non o- pus eſt. MAR. Tria habemus adhuc ô Mari- te quartalia. DEM. Quî ſic? duo iuſsi te per puerum coquere. MAR. Nolui Titanem a- micum Ceruinis carnibus tantùm, ſed etiã Quillis, Palumbinis & Gallinaceis honora- re. TI. Nimiùm ſanè Marchaſitis expenſarũ

facis noſtri cauſa, quum dabitur occaſio cõpẽſabimus. DEM. Compenſata ſunt omnia. Perquàm optimè feciſti Marchaſitis. Duo quartalia Domino; tertium Oceanitidi ſumus allaturi. Finita iam cœna gratias agamus: orate Pueri. PVERI. Gratias agimus tibi Conditor æterne Deus, quòd nos tuis pauiſti creaturis; Verbo tuo pariter & nos alere digneris. Amen. DEM. Sternite lectum Titani. MARCHAS. Rudis cum Patre fortè cupit hac nocte decumbere. TI. Maximè, poſtea cũ Fratribus. DEM. Famuli, cras duos equos Titani Maheum, & mihi Pomelatum ſellis frœnisque parate, reliquos ad agrum ſumite. Pueri ſumpto lumine, Titanem & Rudem ad cubile ducite. TI. Proſperam vobis Demogorgoni & Marchaſitidi, cæterisque noctem optamus. DEMO. & MARCHAS. Nos quoque vobis fœliciſsimam.

Demogorgon, Marchaſitis, Titan & Oceanitis Interloquutores.

DEMOGORGON.

SVrgere iubeto famulos & ſeruas, tu quoque iẽtaculum para nobis omnib. MAR. Iam ante horam ſurrexerunt omnes. DEM. Equis auenę quos equitabimus binas cuiq; dari menſuras iubeto. Surgentem audio Titanem,

tanem,& ego mox surrexero. TI. Fœlicẽ vobis diem precor. DE. Idem tibi sit. Quî sic tẽpestiuè surgis? potuisses enim vna atq; altera hora quiescere. TI. Dormiui plus satis. DE. At Rudẽ in lecto reliquisses. TI. Manere noluit. DEM. Fortassis dubitauit ne vale sibi nõ dicto recederes. TI. Id opinor. DE. Iẽtemur, equi parati sunt. TI. Edere nec bibere manè possum. DEMOG. Paululum vt aëri corrupto resistere valeas. En ocreas habes, & calcaria; iam conscendamus equos, illuxit enim. Retrò me sede Marchasitis. Titan equo suo Nigram ducet. TI. Arripe corrigiam filia ne decidas. MAR. Non est quod caſuram dubites, equis insidere nouit optimè. DE. Iam eamus Deo nobis comite fœlicissimo. TI. Ad vrbẽ appulimus, hæc breuior est ad meam domũ via, sequimini, præcedam, non aliàs reperire possetis, vt opinor. DEMOG. Certum est, ego non alia quàm per fortum vnquam domum tuam petij. TIT. Descendamus hîc. DEMOGOR. Hæc mihi tua domus fore non videtur. TIT. Anterior non quidem, sed posterior. DEMOGOR. Siccine hac tibi patet exitus? TIT. Stabulum hîc equorum est, per quod in anteriora domus transitur. Equis hîc dimissis, puerum ego mittam qui curabit eos. DEMOGOR. Minimè, sunt equi pessimi, qui ignotum ad se libenter

non admittunt. Ego ipſe prouidebo ne damnum cuiquam inferant. TI. Venite mecũ igitur Marchaſitis & Nigra, vos ad Oceanitidem vxorem ducam, & poſtmodum auenam equis & fœnum adferri curabo. Vbinã es Oceanitis? OCE. Adesnè mi Titan, proſperè nobis redieris, & tu Marchaſitis cum filiola, gratiſsimæ huc adueniſtis. Vbi eſt Demogorgon? TI. Non procul hinc, iamiam nobis aderit. OCE. Aſcendite mecum. Sedete precor, ſcio vos itinere defeſſas eſſe. MAR. Nil minùs, equis venimus omnes. DE. Salue plurimùm Oceanitis. OCEA. Tu quoq; ſalue. Gratiſsimus hoſpes vnà cum vxore filiolaque nobis adſis. DEM. Gratias agimus. At ſcis qua de cauſa huc ad te venimus? OCEA. Vt amicè nos inuiſeretis. DEM. Hac & alia, nempe vt pro filiolo Rude, filiolam tibi darem Nigram. OCEA. Siccine tu illum? DEM. Ita factum eſt. OCEA. Plurimùm ſanè placet. DEM. Aliud poſtmodum percipies. OCEA. Modò bonum, eſto. DEM. Non antea quàm Titan adſit reſcies. Interim Cerui partẽ hãc boni conſule. Domino meo partem etiam daturus, indeque mox rediturus abeo. OCE. Ne moreris diutiùs precor, paratum eſt Prãdium. DEM. Iamiam adero. TI. Vbi eſt Demogorgon? MAR. Ad Dominum ſe contulit. DEM. En adſum. Voluit me ſuo Dominus

nus adesse prandio, multis tamen excusatio nibus euasi. Gratissimum illi donum fuit plus dictu. Ciues enim cras plurimos inuitauit, quibus adesse te per me nuncium cupit, & me, necnon vxores. TI. Excusamur quòd rari iam hospites amici mutuis potiamur conuiuijs. DE. Optimè loqueris. TI. Instat hora prandij. Mensæ igitur accũbamus. Demogorgon hîc sede, coniunx assidebit à dextris tua, & à sinistris filia. DEM. Parce precor, primo tuum est sedere loco. TI. Eius nõ meministi video quod pollicitus es, quum domi tuę iuberes obtemperare pro pari. DE. Oblitus eram sanè. Iam quod voles faciam. TI. Gratijs primùm actis Domino Deo nostro, edamus atque bibamus alacriter, verbũ eius optantes in nostri potissimùm alimentum Amen. Peracto iam prandio, datisque Domino gratijs, pueros in ludum ablegemus. Est quod modò loquamur seriò de fœdere quod inire concepimus ô Demogorgon. DEM. Placet, adsunt ambæ coniuges. TI. Oceanitis audi. Filias tres filiosq; duos Demogorgon ex Marchasitide sua coniuge præsente (quos Deus incolumes conseruet omnes) Nigram, Candidam, & Flauam, natu minores ex ordine sorores: demùm Calaminum & Talcum fratres illis maiores habet. Rudi quem pro filio seruat, Nigram vxo

rem illi educandam adduxit. Quid ad hæc tu? OCEA. Quod visum est tibi non recuso. Verùm id ipsum plurimùm opto quod narrasti. TI. Marchasitidi manum igitur præbe tuam in signum fœderis. Iterum & ego Demogorgoni data manu polliceor. DEM. Accepto quod ipse primùm obtuli. TI. Offerá ne vicissim, vt mutuum sit amicitię signum? DE. Quod voles. TI. Quotquot nati natæq; nobis existunt matrimonio iungamus: Gentiles enim sumus, licet nobis ex lege nostra, si non alia. DEM. Id etiam placet, vt inter vos & nos perpetua sit amicitia. TI. Quid vos Matres? OCEA. & MAR. Idipsum quod vos & nos volumus. DE. Lœto sit Candida Coniunx, Irato Flaua, Calamino Vana, Talco quidem Assidua. Nam Sollicitus & Facetus altiùs tendunt, quàm rusticis cum agere. TI. Pacta sunt omnia. MAR. & OCE. Itidē (quod adnos attinet) fiat. TI. Nunc restat vt reliquis Pueris, cuique iuxta suam electionem proui deam donec grandiores fiant, & artibus instructi sint ad vitam comparandam. Vnus adhuc extra ciuitatem est promouendus. DE. Quisnam est ille? TI. Iratus, apud Carbonarium aliquem. DE. Bone Deus, cur non dixisti priùs, quum adhuc esses in ædib. nostris. TI. Quî sic? DE. Vnico miliari duntaxat à nobis vir probus distat Carbonarius, & summus

mus amicus. TI. Nunquid narraui tibi? DE. Minimè, de Rude solo quoad optiones filiorum loquutus es mihi. TIT. Narrare tamen omnia tibi proposueram. DE. Parum aut nihil refert, nobiscum redibis assumpto puero simul & Matre, filios atque filias recentes vt inuisat. TI. Vnico tamen contextu potuit & hoc fieri. OCEAN. Quid ad rem? Casu quodam etiam euenisse putes, vt ego tecum inuiserem amicos. TI. Quod factum est, infectum vt sit, fieri non potest. MAR. Aliàs accidisse nollem. DEM. Pro puero nobis est inueniendus equus. TI. Vicinus proximus vt opinor mutuatum non recusabit. DEM. Euge igitur eamus. TIT. Hac nocte mecum estis mansuri. Crastinus dies consilium adferet. MAR. Tam diu non possumus abesse domo. TI. Nec profuit hoc ipsum dicere me vobis. DEM. Soror tua familiam reget interea. TI. Demogorgon & ego spatiatum ibimus. Oceanitis tu Marchasitidem vt Sororem tracta. Redeuntes (Deo dante) cœnabimus. Cœnā interim parare iubeas Assiduam atq; Vanā. Primò, nos ad Principis Palatiū transibimus, ædificium vt videamus. Eius Aulā nec alterius ego nunquam ingressus sum. Filius tamē ad eā anhelat. DE. Sine precor. Nūquid Adamus primus rusticus etiā nobilis fuit? T. Hic ad publica loca ciuitatis cōferemus nos

quæ tu fortaſsis non vidiſti hactenus. DEM. Per vicos obambulare non, ſed peractis negotijs, ad villam ſtatim redire ſolitus ſum. TI. Non ſic in poſterùm, ſi fœdus inter nos initę iam amicitiæ confirmatæque ſeruare voles. DEM. Quid vis aliud facere me? TI. Mox atque veneris in ciuitatem, equos tuos in ſtabulum nobis iam commune factum ducere, fœnũ & auenam petere familiariter. Mẽſam abſolutis negotijs meam boni conſulere. Domum meam deinceps non hoſpitiũ, ſed propriam tibi fore. Ac ea quæ poſsideo tua æquè ac mea iudicare: quod effectu pariter experieris. DEM. Vt itidem tibi de me rebusque meis pollicitum habeas atq; certum, faciam. TI. Nunquid ambulationibus diffatigaris? DEM. Vtcunque. TI. Reuertamur ſi lubet, inſtat occaſus, & cœnæ mihi deſiderium, tibi verò? DEM. Quum non laboro non vſque adeò fames premit vt aliàs. TI. Greſſus atque regreſſus quos iam fecimus, labores exiſtimo. DEM. Si non maiores nobis forent. TI. Oceanitis quantum à cœna diſtat? OCEA. Parata fuit ante mediam horam. TI. Cœnemus ergo, tranſactaque cœna quieſcamus in craſtinum. MAR. Surgamus Demogorgon, Aurora claram in lucem abijt. Equi præparandi ſunt abeundumque nobis. DEM. Titan & vxor eius cum puero

nobiſcum

nobiſcum equitabunt. MAR. Priuſquam equi ſuam auenã abſoluerint, diei bona pars abierit. Domi fore tempeſtiuè cuperem, vt illis prandium apparare poſſem citiùs. DEM. & MAR. Diem hunc proſperum atque fœlicem vobis Titani, Oceanitidi cum filijs & filiabus imprecamur totique familiæ. TI. & OCE. Tantundem vobis & veſtris omnibus optamus. DE. Parati ſunt equi quum libuerit equitabimus. TI. Ientandum eſt nobis priùs. DE. Ientemini vos, expectabo prandium. TI. Scisnè quid ſit quod reſpondeã? DE. Quæſo quid? TI. Hoc ipſum quod mihi tu ad hæc, malo nẽpe reſiſtendũ aëri fore. DE. Meminiſti? TI. Quid ni? DE. Euge, fiat vt optas. OCE. Puer ſolus equitare minimè poterit. DE. Eum ante me vel poſt aſſumam. OCE. Ego poſt Maritum ſedebo, nec ego ſola ſum aſſueta equis inſidere. DE. Marchaſitis ergo ſola ſuum occupabit equum. Fœliciter abcedamus. OCE. Aſsidua, tu quoque Vana domi penes Amitã remanebo. TI. Soror caue ne domum exeant, nec ad eas venire quenquam præter vicinas puellas, donec redeamus, patere. Quòd ſi obedire tibi nolint, coge, meq; reuerſum redde certiorẽ. Scio quî cum ipſis acturus ſim. Valete. DE. Iam domum peruenimus. Famuli vos adeſte, hos equos in ſtabulum ducite, frœnisq;

depositis tantùm, auena fœnoque pascite, sellas eis relinquite, nam à prandio nobis equitandum est vlteriùs, vel recentes accipiemus. TI. Ad quid? nisi longè distet Carbonarij domus. DEM. In sylua quam tertiùsnudiùs vidisti situm habet. TI. Ab hinc miliari. DE. Vix numeratur. Equos adducite, conscendamus. Vides hinc ô Titan fumum ad aëra surgentem à dextris? TI. Video, quid sibi vult? flagratnè domus aliqua? DEM. Absit, Carbonarius hunc torrendis carbonibus excitat. TI. Tam propè sumus? DEM. Gallorum eius cantũ audis. O Carbonarie prodi foras. CAR. Quis me vocat? DE. Exi, videbis. CAR. O Demogorgon amicorum optime, fœliciter adsis cum sodalitio. Salue Marchasitis, & vos quoq; mihi gratissimi hospites omnes, intrate. Equos in stabulum abducite famuli, fœnum & auenam eis proponite. DE. Cur ad te venerim diuinare minimè posses. CARB. Non nisi dixeris. DE. Amicus hic meus Titã, postquam filijs suis optionem vitæ dedisset, puer iste Carbonariam artem elegit. Pater eius ad me cùm venisset consilij causa, rogauit, vt si quem scirem Carbonarium, qui filiolum docere vellet, numerato iusto pretio, iuuarem. Quapropter huc ad te meum vnà cũ quatuor suis parentibus adduxi filium. Est enim desponsione filiolæ meæ Flauæ meus

factus.

factus. Quid ais? CAR. Placet, eum recipiam, etsi non indigeam pueris, cùm domum his refertam habeam, vt vides: Nihilominùs ob mutuam amicitiam quæ semper fuit inter nos ab incunabulis, hunc non secus ac meos tractabo filios, diligã atq; docebo. DE. Quid numerabimus annuè? CAR. Duodecim aureos olim ab alijs accepi, numerauique puer Domino meo. Vos autẽ numerate decẽ. DE. Numerabo libenter. CAR. Vestibus eius vos prouidebitis. TI. Cura nobis hęc incumbit, scio moris hoc apud omnes fore. DE. Puerũ igitur tibi valedicto relinquemus. CAR. Nõ priùs tamen quàm hanc merendam absolueritis mecum. DE. Edimus & bibimus hac vice tecum plus satis. Deo laudẽ & tibi grates agimus. CAR. Vix degustastis, edite, bibiteque meliùs precor. TIT. Adhuc ante vesperum in ciuitatem equitandũ est mihi. CAR. Id facilè feceris etsi duab. horis tardiùs hinc recedas. DEM. Equos ascendamus, tẽpus est. Vale Carbonarie. C. Vos quoq; peroptimè valete. TI. Filium tibi cõmendatum habe. CAR. Non est quòd cures ampliùs. Is mihi curę sit vlteriùs, donec ad te magister Carbonarius, redierit. I. Valete, Pater optime charissimaq; Mater. TI. & OCE. Tu quoq; fili vale. Fac domino tuo sis obediẽs. D. Manebitis apud nos hac nocte. TI. Ignosce precor, domũ ibimus.

At

At polliceor me his proximè futuris ferijs, cum Oceanitide familiaque tota huc venturum, vnoque aut altero die manſurum apud vos. DE. Facigitur. Curru vos & equis aduehi reuehique iubebo, ſed ſiſte pauliſper, famulum tibi ſum daturus, qui ducat equum proximi, noſtrumque rẽducat. TI. Optimè, ſed pernoctabit apud nos. DEM. Modò cras diluculò redeat, parum referet. TI. Portam primus omnium exibit. Vale mi Demogorgon, tu quoque Marchaſitis. DEM. & MAR. Valete plurimùm, nosque vt promiſiſtis reuiſite. OCEA. Fiet certiſsimè Deo dante. Vale mea Soror, & tu mi Frater Demogorgon, vosq; Filij Filiæque valete fœliciter, & vnanimes omnes.

Titan, Oceanitis, Concionator & Lætus.

TITAN.

DVobus iam extra ciuitatem collocatis, reliquis tribus vt prouideam eſt reliquum. OCE. Faciliùs id feceris. TI. Quidnam dicis? Antea cum ruſticis egi, nunc autem cum ſubtilibus hominibus agendum erit mihi ſemiruſtico. OCE. Amicum tibi cõcilia, qui hac in re ſit auxilio. TI. Sœculum hoc eò deuenit, vt nemo ſibimet, quantò minùs

nùs alijs boni quid optet. OCEA. Imò putarem ſibi ſoli bonum eſſe cupere. TI. Minimè bonum omne quod videtur, nec vtile. Vulgus ad opes & honores bonum vtileque refert, cùm ſint plurimis ad ruinam poſitæ. Verùm quòd in eis fœlicitatem eſſe credant, alijs eas inuident omnibus prętereà ſibi. OCEA. Quæ tu iam negotiaris, nec honores concernunt, neq; diuitias, at Regnum Dei. TI. Et hoc ſibi non aduenire cupiunt, nec alijs. Ego Chriſtum aduocabo, qui ſolus adſit. OCE. Is tibi comes erit optimus. Congredere mi Læte, Concionatorem adeamus cõſilij gratia. Salue Domine Doctor. CON. Tu quoque ſalue Titan vir optime. Quid eſt in quo tibi meam prodeſſe putas operam? TI. Conſilium Domine tuum. CON. Qua in re? TI. Filius iſte meus Theologiam electione propria cupit addiſcere. Verùm ignoro quonam ſit ablegandus vt eam ſincerè diſcat, & vtrum ad facultatẽ hanc aptus exiſtat. Charitatis ergo precor, vt illum examines, atque iudices, an tutò huic vocationi ſalua conſciẽtia poſsim illum committere. Ne fortè non vocatus currat, egoque maximum errorem in re tam ardua committam. CONC. Rectè perpendiſti mi Titan, nec improbè rem agis. Nam parui non ſanè refert in hac re vocatio. Læte mi fili, quid animum ad miniſterium

000352

rium Dei tuum induxit? LAE. Zelus quidã noctu me diuque sollicitat, vt rem ipsam adeam. CON. Vnde hunc Zelum procedere putas? LAE. A spiraculo vitæ. CON. Quid per hoc intelligis? LAE. Luminis tantillũ quod cunctis hominibus inspirauit in eorum creatione Deus. CON. Si quinis homo de hoc lumine Dei participat (vt ais) quî fit ergo quòd non omnes Domini Zelum habeant? LAE. Quia tractui Spiritus eius quotquot resistũt, illud non percipiunt lumen, licet in ipsis occultũ sit. CON. Quî tu percepisti? LAE. Quòd à Deo datũ sit non resistere Spiritui, sed corpori. CON. Qua ratione? LAE. Memorando nouissima. CON. Optimum est sanè contra peccatum remedium. At sufficit ad resistendum inimico? LAET. Minimè, sed est veluti stimulus ad repugnandum ex aliqua parte ne peccemus. CON. Quid adhuc deest? LAE. Oratio ad Deum in Christi nomine directa. CON. Ergo proprijs viribus id non fit. LAE. Nihil minùs: at solum Dei donum est Mortis reminiscentia, resistentiaq; Diabolo per nos facta. CON. Si Præco Verbi Dei factus fueris (vt speras) in posterum, quidnam concionaberis? LAE. Scripturæ totius Veteris & Nouæ scopum vnicum. CON. Quis est ille? LAE. Iesus Christus pro peccatis nostris crucifixus, mortuus & sepultus. Qui resurrexit à mor-

mortuis, vt nos cũ eo post mortẽ resurgeremus in Vitam ęternam, ad eius gloriã. CON. Nihil aliud Scripturæ S. continent? LAET. Non. Quia si Christum auferas ab eis, manebunt alba papyrus. CON. Nunquid Genesis & alia multa continentur ibidem? LAE. Hęc & similia quæquæ Christum solum concernunt. Mundus etenim & omnia propter ipsum, & per ipsum creata sunt. CON. Vt vlteriùs audiam tuam confessionem. Quæ est summa doctrinæ Christianæ? LAET. Vt nostræ carnis resurrectionis, per Chtisti resurrectionem approbatæ, Spem habeamus indubiam ad Vitam æternam. Redemptionis humanæ Christi morte factæ Fidei certitudinem, & Charitatis huius erga nos, exemplo per Dei, Proximiąue dilectionem, idipsum fateamur: vt corde quod ore confessum est à nobis mundo probetur opere, testificeturą;. CON. Quînam inter sese differunt istæ Virtutes Theologicę? LAE. Spes in futuro cõsistit eius in dubio, quod nobis promisit Christus. Fides autem præsentem eorum quæ dicta sunt certitudinem: præteritam Christi mortem, præcessamą; resurrectionem eius, in humanæ testimonium ad gloriam: & futuras certò promissiones eius complectitur. Charitas verò præsentem in hoc sæculo de Christo confessione veram dilectionem, atq; proximi

proximi testificatione factam opere vero fidei requirit. CON. In quo Deum diligere possumus? LAE. In eius vera confessione. CON. Quę est ista? LAE. Quę nullo martyrio, vel mũdanæ Tyrãnidis confusione, metuuè mortis minùs perterrita, Christum corã hominibus nedum ore, verùm etiam corde fatetur. CON. Quid est corde fateri Christum? LAE. Est eius voluntatem patientia, necnon operibus exequi. CON. Patientia quî fit exequutio voluntatis Dei? LAE. Quum ob aduersitates nõ recedimus ab eo, nec murmuramus dum nos illis visitare probareq; vult vt Iob: sed potiùs in castigationem (vt veri filij solent) à vero Patre nostro pro meritis eas sustinemus. CON. Quînam operibus? LAE. Vbi hoc omne bonum, quod nobis ipsis optamus, proximo: & omne malum quod nobis vllo modo fieri nollemus, ipsi etiam nulla ratione, licet malè de nobis merito, facimus. CON. Quis est noster proximus? LAE. Quicunque ad imaginem Dei creatus est, vt nos, at proximior, qui regeneratus fuerit. CON. Suntnè opera nostra meritoria? LAE. Mala quidem ipsa merentur mortem. Bona verò non eam neque vitam mereri possunt. CON. Cur igitur operabimur bonum? LAE. Vt æterno Patri nostro qui totus est bonus, nec nisi bonum operari potest, reddamur quantum

quantùm fieri poteſt ſimiles. Aliàs enim illi non poſſumus vniri, quàm per ſimilitudinẽ. CONC. Qua via tandem hæc ſimilitudo fieri poteſt? LAE. Sola Dei, per Chriſtum Filium eius, Miſericordia, & nullo conatu hominũ. CON. Qui ſunt illi qui Miſericordiam hanc à Deo conſequuntur? LAET. Omnes quot-quot elegit ab initio. CONC. Quînam certi reddimur electionis huius? LAE. Per Spiritum Sanctum in cordibus noſtris teſtimonium perhibẽtem. CON. Ediſſere quæſo quomodo hoc ipſum à nobis poteſt percipi? L. Nemo tam crudelis extitit vnquam inter mortales, cui non, vbi caro malum ſuadet eius, etiam non adſit qui diſſuadeat Spiritus, Quem qui ſpreuerit aſsiduò nullaque motus conſcientia, nec metu, quoduis temerè vitium exequitur: Nullum adhuc electionis teſtimonium habetis, donec à Deo conſequatur. Verùm qui tractu ſimili terretur, vt à malo concepto deſiſtat: Mox Deo gratias agens oret, pro confirmatione, qua potens in hoc prælio victoriam conſequi ſemper valeat. Nam hoc eſt electionis optimum indicium. CON. De Sacramentis quid? LAET. Has duas à Chriſto nobis inſtitutiones eſſe relictas & obſeruandas, firmiter credo. Priore quidem, vt inſigniamur caractere Chriſti per Baptiſmum, & in eius Eccleſiam intro-

ducamur, & recipiamur. Posteriore verò, Passionis & Mortis Christi memoriam vt celebremus, ne deleatur in nobis Diuinus ille caracter. CONCIO. Qui baptizandi sunt? LAET. Omnes quotquot petunt. CONC. At pueri non petunt. LAET. Sunt qui petunt eius nomine, qui præsentant ipsum Ecclesiæ videlicet. CONC. Si per Christianos præsentetur Iudæi vel Gentilis filius aut filia, fueritnè baptizandus? LAETVS. Maximè. CONC. Verùm si redeat postmodùm ad Parentes infideles grandis iam factus, & iterùm superstitionibus instruatur, & infidelitate, quid proderit illi Baptismus? LAET. Nihil omninò. CONC. "Quî hoc probas? LAET. Eo quod in pueris "Baptismus Fide comprobandus est, vbi etiam ad ætatem peruenerint, vt in senioribus "Fides Baptismo, & hîc Fide rursus. CONC. Quî fit igitur vt in Christi verbis, Fides Baptismum præcedat? LAET. Iudicari potest ex indicio. Tunc temporis enim quum Christus mitteret Apostolos prædicatum & baptizatum, pauci vel nulli fortasis erant adhuc baptizatorum aqua filij, de quibus etiam in Euangelio nulla fit mentio. Quare quum Baptismus ab adultis inciperet per Pœnitentiam (quæ præparatio proprie dici potest ad Fidem) necessariò

ceſſariò fieri debuit per Fidem ad Baptiſmũ tranſitus, vt conuerſorum filiorum Iudaiſmi Gentilitijque Fides Baptiſmo confirmaretur. Poſtmodum autem filij baptizatorum, ſi non actu, ſaltem potentia crediderunt vt Parentes. Et quia nulla potentia valet, niſi deducatur in actum, Fide propria non Parentum, aut præſentium tantùm confirmata fuit in adultis, quum iam in illis maturus eſſet intellectus: ad quem qui non peruenerunt, excuſati ſunt per petentium aut Parentum Fidem, per quam potentia talis actum eſt conſequuta, ſi non proprium, ſpondentium ſaltem, & petentium. Et per hoc labefactatur Anabaptiſtarum hæreſis. Nam ſiue Baptiſmus præcedat Fidem immaturam adhuc in pueris & potentialem, ſiue maturam & actualem ſequatur in adultis, nõ refert. Quia Fide Baptiſmus comprobari debet etiam in adultis. Quandoquidem, ſi quis Baptizatus Senex à Fide Chriſtiana deſciuerit, non proderit ei Baptiſmus, donec reſipiſcat, vt ſuprà de puero Baptizato, poſtea deficiente, dictum eſt, vbi adoleuerit. Sunt igitur correlatiua Baptiſmus & Fides, quorum neutrum alterum præcedere neceſſariò debet, niſi pro reſpectu perſonarum. Siquidem nulla Fides vera præter Baptiſmum, aut perfecta,

nullusque Baptiſmus efficax præter Fidem exiſtere poteſt. Quod ad infantum potentialem Fidem igitur attinet, credendum eſt eā actuari Sponſorum fide, vel Parentum, ſi fideles exiſtant. CON. De Cœna Domini quid ſentis? L. Paſsionis & Mortis Chriſti pro peccatis noſtris in ſatisfactionem ad memoriā eius eſſe veram celebrationem. CON. Si quis fortè roget, vt ſolent nonnulli. Quare Cœnā ſuam Chriſtus inſtituerit, quid reſpondebis? LAE. Ad iſtius interrogationis curioſæ magis quàm neſſariæ, necnon ſimilium reſponſionem aliam, Chriſtianum minimè teneri, niſi quod illi qui quodcunque voluit, etiam potuit, ita viſum eſt. Verùm ſi roget: quid memoria Paſsionis Chriſti proſit? Reſpondebitur. CON. Quid, audiamus? LAE. Vt nos à peccato ad pœnitentiam potētiùs quàm dictum eſt, retrahat, per dilectionem ad Deum reciprocam: dum conſideramus, quantùm ipſe nos dilexerit, qui proprium Filium dedit victimam pro delictis noſtris, vt à faucib. Diaboli nos liberaret, cuius mancipia facti fueramus petulantia propria, necnon inobedientia, & nihilominùs quòd magis quā proprio Filio pepercerit nobis. Vt etiam his conſideratis, ad Orationem, & Pœnitentiæ confirmationem & emendatæ Vitæ, humiliatione quadam hominum diſponat indurata

rata nimium corda. CON. Dixisti priùs nouissimorum tamen id præstare memoriam. LAE. Verùm est, sed per aliam viã, & imbecilliorem. CON. Quæ est illa? LAET. Domini timor. CON. Initium hoc est Sapientiæ. LAE. Non ergo finis. CON. At quis hic est? LAET. Amor eiusdem & Proximi dilectio. CON. Inter hæc extrema, quod ponis tu medium? LAE. Orationem ex corde humiliato contritoque procedentem. CON. Respondebunt igitur vltima primis, in retractione videlicet malè viuentium ad Pœnitentiam? LAE. Optimè, sed efficaciùs in fine quàm in principio. CON. Quî hoc fit? LAE. Gratia Spiritus Sancti nobis concessa per Deum oratione media, quam Christus ad Patrem suum in eius nomine fundere præcepit, quamq; nos promisit obtenturos. CONC. Maior est igitur Amor Domini, quàm timor? LAE. Absque dubio. CONC. At causa potior habetur effectu. LAET. Non ita cum initio & fine. Quoniam initia plurima iaciuntur, quę suum ad finem minimè perueniunt. Nulla tamen causa, quę non sortitur effectum aliàs causa non est, nec dici potest. Initia causæ tamen dari possunt, quæ ad causam non perueniunt, quantò minùs ad effectum. Sic etiam timere Deum ali qui possunt, & non amare: contrà, non amare poterunt, nisi timeant. CON. Exponè clariùs.

tiùs. Deum timent & non amant, quicunq; à vitijs abstinent, quia iustus est Dominus, & de peccatis vindictam sumit: non quia bonus est, & peccatum odit. Non aliàs illi qui propter metum Magistratuum de furibus & latronibus meritò supplicia sumentium, actu solùm abstinent à furto latrocinioq;: voluntate licet non executa, cordeque fures & latrones interni sunt. In his enim amor Dei, neque proximi non est. Nemo tamen vitiũ odit, quia detestatur illud Altissimus, quin metuat offendere Deum si cõmiserit. CON. De his hactenus. Iam dic fili, si quis interroget. Quomodo Christi Corpus & Sanguinẽ sumas, an in pane & vino vel extra sint, quid panis & vinum denotent, ac similia, habesnè quod istis respondeas? LART. Habeo. CON. Quid hoc est? LAZ. Interrogationibus nihil ædificantibus in Ecclesia Dei, sed potiùs dissensiones introducentibus non esse respondendum. Tales enim homines qui similia perquirũt in Christi mysterijs, maiorem authoritatem sibi temerè satis attribuunt, quàm Paulus & cæteri Apostoli Spiritu Sancto repleti fecerint. Qui verbo Christi simpliciter crediderunt, non inuestigantes in Sacramentis per subtiles rationes intelligere plura, quàm Christus illis exposuerit. Ori Christi, quod nullo modo mentiri potest,

teſt, credamus, vt Apoſtoli. Si hac in vita non exactè percipimus quid arcana Diuina myſteriorum continent, ob noſtræ carnis fragilitatem, ratione humana prorſus abiecta, humiliataq; mente, rogemus Chriſtum, vt nobis, cùm voluerit, per Spiritum ſuum exponat, vt Apoſtolis fecit. Quæ clarè nudeque patent, myſteria non ſunt, nec etiam Fide, ſed notione communi ab omnibus apprehenduntur. Spiritibus ſeducentibus aures occludendæ ſunt, non ſecus ac Serpentes faciunt incantationibus, & Columbarum inſtar eſt ambulandum nobis, vt Chriſtus etiam ſuos docet. CONC. Optimè, ſed potesnè fili, hæc Scripturæ Sacræ teſtimonijs docere? LAET. Si poſſem, addiſcere non cuperem, & ſi quid ob ignorantiam tractatum eſt, aut loquutum hactenus retractare cupio. CON. Vnde tamen hæc habes? LAET. A Deo per auditionem eius verbi communiter omnibus ex Euangelio prædicati. CON. Benè eſt fili. Deus te, conatusq; tuos benedicat. Mi Titan audi. Puer hic tuus eſt ſatis idoneus ad miniſterium, ſi puros & ſinceros habuerit Præceptores atque Doctores. Nam admiranda ſunt quæ de Sacra Scriptura loquitur, præſertim cùm literarum adhuc ſit ignarus. Verùm ſi ad Collegium deuenerit, inficietur eius ingenium

peſsimo veneno, quod iam purum eſt, & ad Veritatẽ addiſcendam aptum. Nec alię Scholæ nobis exiſtunt, cùm Eccleſia Dei recens adhuc ſit hoc loco. His tamẽ plurimùm indiget ad inſtruendam in omni Pietate Iuuentutem fidelium. Scio tamen quid agendum ſit mihi. Principem his diebus adibo noſtrũ, ſumpta quidem à puero tuo commoda ſatis occaſione. Pro Schola per eum erigenda rogabo. Neceſsitatem eius in Eccleſia Dei proponam. Videbo quidnam diſponere velit. Interim domi tuæ filium retine, donec reſpondero tibi de voluntate Principis. Res eſt mihi cordi ſanè magis quàm credere quis valeat. Fœliciter ite, valete. TI. Tu quoq; mi Domine Vale.

Concionator, Princeps, AEdiles, Placidus & Portenarius.

CONCIONATOR.

ESt quod in Aulã Principis noſtri me cõferam, Scholę negotium acturus. Video maximè fore neceſſarium. Nõ enim ex Collegio hoc prodire poſſunt Verbi Dei præcones veri. Deus operatur in puero quem nudiuſtertiùs audiui Titanis filio. Præueniam vt à Luporum euadat faucibus, aliosque ſi poſsim

posim ad veræ doctrinæ præcepta nauiter attraham. Salue Portenarie. PORT. Salue tu quoque plurimùm Domine mi. CON. Surrexitnè Princeps? POR. Maximè. CONC. Ad eum introduci cuperem. PORT. Ingredere, vocabo Placidum Cubicularium. Is tibi dicet quid Princeps agat. Placide, Concionator adest. Principem adire cupit. PLA. Dic vt in Aulam ascendat. POR. Domine, Placidus me tibi dicere iussit, in Aulam sursum vt ascẽderes. CON. Benè est. Salue mi Placide. Fœlix tibi dies hic sit, & anni plurimi. PLA. Gratias ago Domine. Hoc ipsum & tibi faustè precor. CON. Vacatnè Principi, vt verbulum vnum aut alterum audiat? PLA. Indicabo te hic adesse priùs. Illustrissime Princeps, adest Dominus Concionator, obnixè petens vt ipsum audire digneris, introducamnè? PRIN. Est in Aula? PLA. Est, Princeps Illustrissime. PRIN. Ego ipse obuiam illi factus, introducere cupio ipsum. Salue Domine: fœliciter adsis. CONC. Faustum tibi, fœlicemque diem hunc, annosque plurimos tibi precor Illustrissime Princeps. PRIN. Idipsum & tibi sit à Deo mi Domine. Sede. CON. Ignosce precor. PRIN. Non priùs audiam. CONC. Fiat vt imperas, non me sedere tamen decet priusquàm sederit ipsa tua Celsitas. PRIN. En sedeamus ambo simul. Quid præcipis Domi-

ne? CON. Precaturus veni Princeps Excellétissime. PRIN. Dic precor. CON. Præteritis his diebus aliquot, Ciuis tuus quidam nomine Titan, Vir probus ad me venit, indicauit ex optione vitæ quàm suis (quos plurimos habet) filijs obtulerat, vnum eorum quem ipse manu tenèbat, electionem Theologicæ professionis fecisse. Rogauitque me vt puerum examinarem, & si ad eam addiscendam foret idoneus, indicarem. Ne frustra & non vocatus curreret fortè filius in re tam ardua. Puerum obiter interrogaui primùm quæ faciliora videbantur. At cum ipsum non vt puerum, sed vti nauiter instructum respondere (qui tamen antea non viditliteras) considerassem, eius audire confessionem volui, quæ talis est, vt exaratam in hac charta vides Princeps Illustrissime. PRIN. Videam quæso, legamque. Sanè puerilia hæc (licet à puero loquuta sint) minimè mihi videntur. Piè credendum est Spiritum Dei per os pueri loquutum esse nobis vt indicaret in organum sibi hunc elegisse. Quid existimas Domine? CONC. Idipsum Excellentissime Princeps mihi videtur. Hac de causa veni, rogaturus vt prouidere dignetur, ne puer hic ad manus Collegistarum veniat. PRIN. Absit. Probo pioq; Viro committatur potius. Ego suppeditabo quicquid opus fuerit.

fuerit. CON. Illustrissime Princeps, tua si pace loqui circa hoc liceat. PRIN. Liberè quęso. CON. E Sacrificulorum opibus qui gladio Spiritus Dei hoc templo sunt eiecti, Scholã ad Pietatis doctrinam pro pueris erigi præcipere digneris, ad gloriã Dei precor. PRIN. Optimè placet, vocentur illi qui curam habent eorum quæ Sacrificuli falsò possederunt olim, si non sufficiant è thesauro meo sumatur quod suppleat. Placide, huc adsis. Curules Ædilesque venire huc ad me nomine meo iubeas. PLA. En adsunt Illustrissime Princeps, quos vocari iusseras. PRINC. Hoc meum est pręceptum, vt ex reditibus, quos habuerunt Sacrificuli, sumatur ad Scholam Euangelicam erigendam quantum satis erit. Huic præsit Dominus Concionator in ponendis Præceptoribus atque pueris, & si videbitur illi deponendis, aliosque in eorum locum substituendis. Ad eius ordinem facite quicquid in hac re iusserit, ac si egomet vobis præsens iniungerem. ABDIL. Fiet Princeps Illustrissime, quod imperas. PRIN. Habes Domine Concionator quod optasti. Vbi non obediuerint illi ex voto, quibus rem commisi, mox indica, latiùs prouidebitur. Primus erudiendus puer iste sit, cui plures adiungere poteris. Onus hoc incumbit Ecclesiæ Ministris. Et si fortè nimiùm

occupa-

occuparis,alium adiũge tibi Collegam, aut plures quos volueris. CON. Gratias immen ſas ago Princeps Excellentiſsime. Deus ipſe bonum opus tuum aſpiciat, ac ad ſui gloriã benedicat. Amen. PRIN. Hoc faciat Altiſsimus Dominus, cuius ego ſeruus inutilis ſum.Porrò nihil vnquam præſtare boni poſſum, quod non debeam. Eſt ne aliud quod iubeas Domine Concionator? CONC. Non ex me,ſed ex Dei pręcepto,qui Voluntatem ſuam ſcire te dignum fecit,vt Veritatem Euãgelicam tueri ſemper ſtudeas,vt feciſti hactenus. Vale Princeps fœliciſsime. PRINC. Fiat Voluntas Dei. Vale.

Concionator, Princeps, Titan, Placidus & Portenarius.

CONCIONATOR.

TItan vbi es? TI. Adſum Domine. CON. Tuum & Reipublicæ negotium apud Principem noſtrum egi, quod ad Scholam attinet. Eam erigi cupit,commiſitque tuum puerum primum omnium recipi, cui plures etiam adiungi vult, & erudiri ſimul in Euangelio. Tu autem interea filium habe domi, quouſque diſpoſita ſint omnia. TI. Immortales ago Deo gratias primùm,Principi tandem,& tibi mi Domine. Iã tribus filijs meis proui-

prouiſum eſt (laus & gloria Deo) Duo reſtãt adhuc quibus & conditionem ex eorum electione quærere cuperem. At non ſcio quinam agendum ſit mihi. Tuo plurimùm consilio mi Domine Concionator opus foret. Ignoſce precor, ſi præterquàm æquum eſt beneuolentiam tuam aggrauem. CON. Miniſtrorum eſt officium conſolari, tum quibus opitulari de ſuo nequeunt conſilio promotionẽq;, faciant quod poſsint. Quid elegerunt illi quos dicis adhuc eſſe prouchẽdos? TI. Vnus eorum in Aula vitam agere. Scopũ verò totius humanæ Sapientiæ cupit alter addiſcere. CON. Pro poſteriore, vix tibi dare potero conſilium. Nam in hac ciuitate nullas hoc tempore Scholas habemus, præter Sorbonum Collegium, cum quo nullum eſt mihi commercium. Poteris filium in eo cõmittere diſcẽdis artibus liberalibus tantùm, in quibus ego Sapientiam humanam exiſtere iudico. Caue, ne tamen in Theologia ſua moliantur eum inſtruere. Nam in ea latet Anguis ille qui decepit Euam. Schola quam Princeps etiam erigi commiſit, nil præter diuinam Sapientiam docebit. Diuerſum prorſus à Læti fratris optione hic elegit. Quod eſt illi nomen? TI. Sollicitus. CON. Non inconcinnum ab electione ſua: nam ſolent homines quæ terrena ſunt, perituraq; ſollicitè magis

tè magis quàm Diuina quærere, perpetuáque. Verùm nouit Sapiétiſsimus Deus quid inde boni reſultare queat. Nonnunquam ex malo iam introſpecto viliorique, penitus odium eius vel contemtus, Virtutisque deſiderium, aut potioris oritur eo quod anxiè quæſitum fuerat. Optionem eius non impedias, ne peius ex naturæ cohibitione ſequatur. Alterum aſſume tecum ad Aulam. Ego vos comitabor, amicumque meum rogabo Placidum, vt in hac re ſuo conſilio iuuare velit. TIT. Precor mi Domine. CONC. Non eſt quod preceris. TI. Adeſto Facete, veni mecũ ad Aulã. FA. Adſum Pater chariſsime. CON. Portenarie, ſalue. Eſtnè Placidus hîc fortaſsis præ manibus? PORT. Iamiam aderat, ingredimini curiam. Accerſam illum. Placide, Cõcionator cum Ciue quodam te petit. PLAC. Iam illum adibo. Saluete plurimùm. In Aulam ſurſum aſcendite mecum. Quidnam eſt quod veſtri gratia grati præſtare poſsim officij? CON. Dicam Placide. Ciuis hic Titan amicus meus, & pueri Pater quem erudiri iuſsit Illuſtriſsimus Princeps, alium hunc habet filium inter cæteros, qui ſummo deſiderio cupit in Aula ſeruire. Si quæ ſit apud Nobiles conditio ſaltem, donec Aulicos ritus didicerit, ac ad maiora ſit idoneus, indicare velis precamur. Si modò nulla fortè vacet,

quum

quum aliqua dabitur eius occasio. Puer est fidus, & bonis Parentibus probisque natus, ac indolis optimæ. TIT. De fidelitate filij spondebo, quicquid possideo proscribam, & nisi ad summam pertigerit, qua cautum sit illi qui filium recipiet, amicos habeo qui suis opibus eam supplebunt cautionem. PLAC. Non est opus amice Titan, modò Patris vestigia sequutus fuerit, ipsemet sibi sponsor probitate sola futurus est. Gaudeo vos opportunè satis adueniſſe. Princeps enim commisit puerum quærere mihi, qui mundandis vestibus, ac alijs honestis muneribus in cameris eius exequendis iuuet. Hunc si volueritis præsentabo, non priùs tamen quàm Principi significauerim: nam æquum est vt ipsemet sciat, qui suis in abditioribus versantur. Ipsum nunc adibo. Rem omnem aperiam, ad vos illicò reuersurus. Manete paulisper. Illustrisime Princeps, adest Dominus Concionator, & Ciuis cum eo Titan, pueri Pater quem erudiri iussit Illustrisima tua Celsitas. Alium habet filium secum, si tuæ Celsitati visum fuerit, vt in Cameræ iuuet officijs, & ipsum videre si lubet, vocariqueiusserit, adducam. PRINCEPS. Concionatorem, Patrem & Filium introduc. PLACID. Princeps vos omnes ad se venire cupit. CONCIONATOR. Eamus

Titan,

Titan,assume puerum tecum. TI. Vix audeo, nunquam enim adij Principem. CON. Quid vereris? Ciue plurimo familiarior est. Veni. TI. Saltem nomine meo gratias agas pro filio meo Lęto. Non sum, vt scis, facũdus, qui per me valeam id exequi. CON. Sine faciam ego. Salus animi, tum corporis tibi sit à Deo Princeps Illustrissime. PRIN. Idipsum vobis omnibus opto. CON. Immensas agimus gratias Fœlicissime Princeps, & pręsertim Viriste, Ciuis tuus Titan, pro Lęto suo filio. Puerum alium adduxit hunc, & ei filium, quem tuis obsequijs dicare cupit, modò sit idoneus. PRIN. Quod est puero nomen? CON. Facetus est nomen illi. PRINC. Optimè cum Placido nomine, si re tamen conueniat, benè est. Recipiam, spero de fratris indole futurum esse participem. Relinquite puerum hîc vt alijs adsit meis. Placide, cura vestes aulicas illi fieri, prout moris est. Instrue, rege, hic tibi commissus est. TI. Condignas tua liberalitate gratias agere non possum, Illustrissime Princeps, hoc solum. Preces pro fœlici statu ad Deum fundere tuo, meum erit gratiarum loco rependendarum officium. PRIN. Maiores profectò reddere non posses, neq; gratiores mihi. CON. Gratijs Deo, Tuæque Celsitati plurimis dictis, valeq; dicimus Excellentissime Princeps. PRIN. Valete plurimùm

mûm & vos. CON. Quid videtur tibi de familiaritate Principis ô Titan. Credidisses vnquam nisi vidisses ipse? TI. Incredibile non experto sanè foret. Iam illum adire vt antea non verererampliùs. Faxit Altissimus vt filiorum obsequia meorum, suis virtutibus, vt par est, correspondere valeant. CONC. Deus benedicat eos, eorumq; bonos conatus omnes. TI. Quid ego tibi Domine, pro tantis in me collatis beneficijs repẽdam? CON. Nihil aliud quàm quod debui feci, nec satis est quod suppleam potiùs. Vtinam & in vltimo filio promouendo iuuare possem. At me cum Collegio, nec illud conuenire mecum audisti. Non deero tamen, quin consilio prosim quod potero. Tu ipse nullo medio Gymnasiarchum adi Collegij cum Puero, & ab ipso pete consilium. Audi quid ipse dixerit. TI. Faciam profectò. Deus omnes tibi meo nomine sumptos labores compensare velit, & Vale, mi Domine. CON. Vale mi Titan optime.

Titan, Oceanitis, Gymnasiarchus, & Sollicitus.

TITAN.

LAudemus Deum Oceanitis. Quatuor iam filijs nostris bene successit. OCEA.

An Princeps & Facetum fortè recepit noſtrum, quod vnà tecum non redierit? TIT. Maximè. Placidoque ſuo regendum Cubiculario commiſit, ac veſtiendum. OCS. Deo laus in æternum. Vtinam & Sollicito benè foret modo. TIT. Deus & huic prouidebit. Cõcionator ſuaſit vt Gymnaſiarchum adeá, & puerum ad ipſum ducam ſine medio. Vbi eſt? Iam & hoc tentabo. OCEA. Non procul abeſt. TI. Ad me venire iubeas. OCR. Sollicite, Pater te vult. SOL. En adſum Pater. TIT. Sequere me. Salue Domine Doctor. GYM. Salue tu quoque Titan. Quid nouarum rerum adfers? TI. Harum ego prorſus ignarus ad te veni, tuo potiùs vt in re mihi ſeria magis vtar conſilio, ſi placet. GYM. Optimè. Dic ſaltem quid hoc ſit. TI. Puerum hunc meum literis, & ſcopo Sapientiæ humanç, quem addiſcere mirum in modum affectat, erudiri cuperem. GYM. Quid per humanæ Sapientiæ ſcopum intelligit puer tuus? TI. Ignoro, literæ me fugiunt, vt ſcis. Ætatem habet, interroga tu, & examina precor, ac vide ſi ad vocationem hanc ſit idoneus. GYM. Accede fili. Quid eſt ſcopus humanæ Sapientiæ? S. Cõſtans eſt omnis humani deſiderij, cõpleti uel incxpletiſ varietas. GY. Ergo ſitis, & famis, carnisq; libidinis extinctio, ſcopus erit huius tuç, quã addiſcerç cupis, humanæ Sapiẽtiæ?

Scopus Sapientiæ

tiæ? SOL. Nequaquam. GYM. Nonnè sunt ista humana desideria? SOL. Sunt, & non sunt, rationibus diuersis. GYM. Adfer quas habes. SOL. Si famis & sitis extinctio, naturæ veræ desiderium non excedat, quæ paucis est contenta, nõ humana, sed verè naturalis erit, nec etiam cõstans est satietas. Nã vt potu ciboq; digestis, iterum appetitus eorum: sic & libidinis tuæ redit vredo. Si verò hæc præter naturam excesserit extinctio, humanũ & corruptum erit desiderium. Sic etiam ad Generãdum appetit natura vera matrimoniũ, nõ ad carnis appetitibus faciendum satis, vt solét humana bruta. GYM. Nunquid caro naturalis est? SOL. Maximè, sed eius appetitus omnes cõtra naturã verã existunt. GYM. Edere, bibere, generareq; non sunt appetitus naturæ? SOL. Per ea quæ suprà dixi, tibi responsum est. At quia non videris intelligere, quæ loquor, differentiam facere, veræ naturæ, ad humanam, & falsificatam à Diabolo naturam, explicabo latiùs. Quamquam in hominibus deprauata per peccatum est prorsus vera primæuaque natura, quæ sine macula vel defectu priùs condita fuerat: ita vt iã ex seipsa nil aliud appetere possit, quàm peccatum, & omne vitium: nihilominùs in homine quouis Diuini luminis scintilla quædã remansit: in vno tamen quã in alio magis

" impedita, quæ vitiatam huiusmodi naturã,
" ad primam & incorruptam, quantùm fieri
" potest, retrahere nititur assiduo: & inde re-
gulatus in aliquibus viuendi modus oritur,
in illis quæ tu protulisti. Et vt ansa tibi ca-
lumniæ magis auferatur. Dico luminis tan-
tillum hoc in omnibus post peccatum sta-
tim oppressum & obfuscatum æqualiter, vt
quiuis per se foret impos huius lucis non ex
tinctæ tamen. At fœdere diuino cum homi-
nibus pacto repullulare cœpit, ac relucere
plus in vno quàm in alio, quod in Abraha-
mo patuit, &c. GYM. Aristippeum potiùs quã
Epicureum dogma profers in mediũ. SOL.
Nihil minùs, at merè Christianum. GYMNA.
Christianorum è re fore dicis, quibusuis de-
siderijs satiari? SOL. Hoc tu loqueris, non
" ego. GYM. Quid ergo tu? SOL. Permanen-
" ter satiatum esse completè vel inexpletè qui
" buslis desiderijs humanis, ita vt eorum nul
" lus appetitus (etiam si redeat) dominari pos
" sit, finem atq; scopum esse huius mundi Sa-
" pientum excellentissimum. GYM. Deliras
puer. SOL. A via tu Veritatis ad ventrem &
libidinem declinasti, sumpto mox ab eis ar-
gumento. GYM. Stultum te fore credo. SOL.
Quod tu credis, ego non, tum quod ego, tu
minimè credis. GYM. Quid hoc est, audiam.
SOL. Tu te Sapientem existimas, ego nullo
modo.

modo. Contra, tu me ſtultum iudicas. At mihi teipſum vt fatuum prodis, qui alios docere Sapientiam præſumis, & ſcopum eius ignorare, finemque non erubeſcis. GYM. Abi hinc hæretice, deſideria tua ſatiatum in alios quàm in me. SOL. Abſit à me procul hæreſis omnis, integram hãc tibi non inuideo. Sed quia tu ſaccus es inſatiabilis, & fundo carens, de ſaturitate, & abſtinentia vera nihil audire ſuſtines. Recedamus hinc Pater. Nulla hîc Sapientia quærenda eſt. TIT. Vbi ergo eam addiſces fili? Nullæ ſunt aliæ Scholæ nobis. SOL. Huiuſmodi Scholis non indigeo. Docebit me ſola Veritas. TI. Vbinam locorum hæc reperitur? SOL. Non eſt mortua Pater. TIT. Non, ſed oppreſſa, quibuſuis & expulſa locis. SOL. Emerget vna dierum, eorum periculo maximo, qui detinent eam iniuſtè. TI. Iuſtus interim patitur. SOL. Nemo iuſtus niſi Chriſtus, qui tamẽ paſſus eſt, quare nos omnes iniuſti non patiemur? Audi Pater. Hac nocte mihi Veritas aſtitit & apparuit in ſomno, ſub ſpecie nitidiſſimę Nymphæ pulcherrimæque, ſed laceris, candidiſſimis tamen veſtibus, quæ loquutã mecum, hæc inquit. Sollicite, ne cures admodum ab hominibus addiſcere Sapientiam. Ego tedocebo Veritatem, in his inferioribus & ſuperioribus cognoſcere. Sed multa priùs te pati

conuenit. In ignominiam & confusionem illorum, qui me persequũtur veniam citò. Sis constans animo. Nec ea quæ tibi respondenda sunt mundi Sophistis cures. Ego suppeditabo quæ loquaris. Statim inde silens euanuit. Ego verò mox à somno satis leui sum expergefactus, & eam sequi summopere cupiens lecto prosilij, sed nusquã apparuit ampliùs. TI. Somnijs credẽdum non est mi fili. SOL. Nõ illis quæ postmodũ non confirmãtur. Sed quum Gymnasiarcho coram sisterẽ, sensi nescio quid flaminis in auribus meis, linguamq; meam solui nullo conamine. TI. Si hoc Diuinum sit omen, Deus benedicat. SOL. Amen.

Gymnasiarchus, Licentiatus, Baculaurius & Magister artium.

GYMNASIARCHVS.

ADeste Collegæ fratres, opem ferte, cõsiliumque rebus nostris in dubio iam versantib. Animaduertistis ad ea quæ puer ille mecum loquutus est? vobis etiam prẽsentibus? Malum hoc omen futurum nobis vereor. Non potuit aliàs quàm Diuino prorsus afflatus numine, puer hic vix annorum quindecim, ea quæ captum humanum superant, effutire, vel effari potiùs. Hoc metuendũ est, ne ciues inter, qui de nobis adhuc benè sentiunt,

tiunt,hęc ſeminet,eiusq; tumor quod mecũ loquutus eſt,ſpargatur per totam ciuitatem: & præſertim ad eos ne deueniat,apud quos fucus noſter eſt cognitus. Modica nimirum eis occaſione data,rueret hic queſtus noſter omnis. Voluite igitur libros omnes mecũ & reuoluite Canonicos aliosque,ſi quid in eis inueniri queat quo præueniri poſsit imminenti periculo. Quid Licẽtiate,quod nos releuet,ſuades? LIC. Meliùs me,qui Doctor es, id ſcire meritò deberes. GYM. Poſtremò concluſurus ſum,vt moris eſt. LI. Sacri noſtri Canones habẽt: Hæreticos exterminandos,vitaq; mulctandos eſſe. GYM. Hoc ſcio. Verùm ignoras id hac in Ciuitate minimè licere, q Princeps noſter Euãgelij profeſsionẽ faciat? LIC. Miror ingenij tui ſimplicitatẽ. Sis tu vel alius nomine tuo carnifex. GYM. Qui ſic? LI. Puer ſæpiſsimè ſerus ad ſuos fratres cõferre ſolet,antequam ad Carbonarium deueniat, per denſiſsimã ſyluam iter facit. Adhuc quid velim non percipis? Mittatur ad requiem cantu ſine, luce, cruce, tace tu, quis reſciet? GYM. Minor eſſet profectò conſcientia mihi quàm periculum. Nam ſyluæ ſepesque habent aures nonnunquam, & oculos, tentare minimè tutum erit. Baculaurie, quid adfers conſilij? BAC. Tutius foret puero per aliquẽ dari ficũ Romanicam, poſt quã non fameat

ampliùs. GYM. At periculo ſuo non caret etiam iſtud iudiciũ tuum. Poſſet enim is, cui committeretur non exequi, motus aliqua conſcientia, palamque facere. Magiſter artiũ quid ex tua Philoſophia profers, quod liberiùs & minori periculo fieri valeat? MAG. O vos impij non homines, at hominum immania ferociaque bruta. Nullus vos Dei timor, ſi non Amor arripit, neq; Proximi dilectio? Latronibus & homicidis quid eſtis meliores? Puerum inſontem, ſic trucidare licet? Qua Theologia veſtra, quibus legibus, vel apud maximos Tyrános, præterquàm apud Herodem, à quo vos didiciſtis, prodijt ſimile facinus, atrox & intolerabile ſcelus. GYM. An non ſatiùs eſt perire puerum vnum, quá nos vnà tecum quotquot ſumus omnes interire fame? MAG. Deliras. Non in eo conſilio maximè ruinam exiſtere noſtri omnium in hoc ſæculo, & in perpetuum vides? Occę care Deo putatis oculos, aures occludere, cohibereq; manus eius, ne vos momento perdat, & in abyſſum inferni deijciat? Non ſat ſcio, quid me diutiùs apud vos detineat. Nã apud ſceleroſos homines viuere minimè tutum. Valeat ex nunc veſtrum conſortium. Nil mihi commune vobiſcum ſit ampliùs. Iã à vobis recedo iam. GYM. Mane precor mi Magiſter artium. Nihil fiet eorum quæ diximus.

mus. MAG. Abſit, abeo. GYM. Licentiate retine. Diſſuade Baculaurie, ne recedat à nobis. BAC. In cubiculum abijt, nihil periculi. Portenario committemus vt fores occluſas teneat, eumque non permittat exire. MAG. O Deus bone, tueri digneris puerum hunc ab atrocitate quærentium animam eius. Da quæſo conſilium quo liberetur. Et confundantur, qui moliuntur inſidias inſonti. GY. Adite vos Magiſtrum, & pollicemini verbo meo decem aureos in veſtem. LIC. Potiùs erit vt numeres, & ita meliùs ſedabitur. GY. Iubete venire, mox numerabo. LIC. & BAC. Magiſter aperi. MAG. Non faciam. Nunquid & me trucidare vultis vt puerum illum? LICEN. & BAC. Abſit. Dominus Doctor tibi mox decem numerabit aureos, vt maneas apud nos. Accede ſaltem. MAGI. Fiſtula dulce canit volucrem dum decipit auceps. GYM. En eos papyro hac inuoltuos per fiſſuram immitto, habesnè? MAG. Habeo. Sed promittite priuſquam exeam, quod nihil à vobis fiat mihi, nec puero. GYM. LIC. & BAC. Promittimus ad Sacroſancta Dei Euãgelia. MAG. Accinctus gladio pugioneque prodibo, non vt noceam, ſed vt me defendam ab iniurijs, ſi quas mihi machinati fueritis, ſtrictisque vos perfodiam animo reſoluto. GY. LIC. & BAC. Hoc liberè fac, vbi quis noſtrũ

in te manus coniecerit. MAGI. Adsum, quid vultis? GY. Nil aliud quàm vt nobiscũ ad Capitulum redeas, & hac de re consultemus latiùs, nobisq; dicas quinã agere debeamus, & puer saluus maneat, & nos honore bonisq; non diminuti. MAG. Eamus. Patrẽ adibis pueri Gymnasiarche solus, & simulabis illi te plurimùm addictũ fore. Necnõ eius, rerũq; suarum, & familię suæ salutẽ optare. Venisseq; te consultum vt illi sit, pueroq; suo, quẽ hæretica multa protulisse finges. Queq; si diuulgarentur à puero, nedum apud nostros, verùm etiam apud Euangelicos, pœna capitis punirentur. Et ne Parẽtes pro filio (quod plerunq; fieri solet) patiantur, optimũ te cogitasse remedium, quo hoc auerti poterit: videlicet, puero vestem caputiatam stultorum instar vt fieri iubeãt, clauamq;. Postmodùm quicquid simile protulerit in vulgus, annumerabitur eius stultitiæ: sic impunes euadẽt omnes, impuneq; stultum quæquæ loqui licebit. Palliare noueris ex tua Rhetorica meliùs, ea quæ iam ex tempore protuli. GY. Optimum hoc est consilium. Quid vobis videtur Licentiate Baculaurieq;? LI. & BA. Meliùs adduci nil potuit vnquam. GY. Hac nocte mecum agam priùs & musitabo quî possim Rhetorico modo rẽ ornare subtiliùs, ne fucus appareat. Nobis iã quàm antea multò

charior

charior futurus es Domine Magiſter. Nouã tibi veſtem fieri iubeas illis aureis quos dono dedi. Cras negotium hoc exequar.

Titan, Occanitis, Sollicitus & Gymnaſiarchus.

TITAN.

OCeanitis, audisnè quid Sollicitus dormiens garriat? OCE. Hoc plerunq; ſolet accidere puero, nõ ſcio quid ſomniet. TI. His diebus admirandum narrauit mihi ſomnium. Simile ſanè quid erit. OCE. Expergefaciãnè? TI. Minimè, ſed ſine fieri. Quicquid ſit, cras ab eo reſciã. Sollicite, quid hac nocte ſomniaſti? SOL. Redijt ea Nympha de qua tibi dixi Pater, ſed non ſola. Puerum innocentem dextra manu tenebat, meque nomine proprio vocatum, ſic eſt alloquuta. Vt puerum iſtum fieri ne deteſteris, at mundo ſtultum haberi patere libenter, vt ſapientior poſtmodùm euadas coram populo, qui te riſerit. Rogaui quare me ſimilem fieri oporteret? Quæ reſpondit. Quia ſub manifeſta ſtultitia, maxima Sapientia eſt occulta, & ſub apparente, manifeſtaque Sapientia, plurima ſtultitia latet. Occultum eſt in eis reuelandum, qui te ſtultum iudicabunt, vt manifeſtò iam appareat eorum

eorũ ſtultitia, quæ longo tẽpore ſatis delituit, ſub falſæ pallio Sapientiæ. Iniquas libenter iniurias ſuſtine, tandem vt iuſta potiaris victoria. His verbis abſolutis, vt priùs diſparuit. OCEA. Mi Titan, adeſt Gymnaſiarchus qui te cupit alloqui. TIT. Menè? Iam adibo. GYM. Salue mi Titan amicorum optime. TI. Tuq; ſalue plurimùm Domine Doctor. GY. Eſt quod in abſtractis tecum loquar. TI. Intremus huc. Nemo nos audiet. GYM. Impulit me probitas tua probatiſsima Conciuibus tuis omnibus & mihi, quæ meritò commendatum atque dilectiſsimum te mihi fecit amicum, & viciſsim tibi me deuinctum reddidit, vt hac ratione cuperem omnia tibi tuisque pro voto ſuccedere, quoduisque periculum vobis imminens, quod in me foret, ac totis propulſare viribus. Scis præterlapſis diebus, te puerum ad me duxiſſe tuum, vt examinarem, ac viderem, an ad literas addiſcendas aptus foret? Quod in tui gratiam, vt ipſe ſcis, libentiſsimè feci. Verùm puerum (non ſat ſcio, qua Spirituum ductum vertigine) multas hæreſes effutire miratus ſum, vt ex tempore præ cholera (quam non tam ex iniurijs in me per eum collatis, conceperã, ac ob impia dicta conuitiaque in Deum, & ſacra numina prolata) reſpondere, declareque tibi hæc minimè potuerim, nec volui

ne

ne feruente adhuc ira consilium tibi dare viderer. Supersedere visum est igitur, & maturo iudicio rem omnem perpendere volui priùs quò tenderet, vt meliùs tibi puerôque tuo prospectum foret. Nam si hæc fortasis impulsus eisdem Spiritibus, aut maligniori-bus (qui pueros & innocentes infestare plerunque solent) apud vulgus in propatulum efferret, Parentes pro puero pœnam ferrent, nõ solùm apud Papistas, at etiam, penes Euangelicos. Quandoquidem talia sunt, vt nec apud Turcas tolerarentur. Suspicio (licet falsa) foret à suis audiuisse Parẽtibus, cum illa non sint puerorum tam teneræ admodum ætatis dicta. Nec foret quisquam, nisi doctissimus, & harum expertissimus rerum, qui percipere posset hæc ab illusionibus Dęmonum procedere. Qui nonnunquam per os puerorum & simplicium personarum impia falsaque loquuntur, vt maiorem illis fidem ignarum vulgus adhibeat. Quapropter si tui tuorumq; salutem existimas, crede mihi de hac (vt nostrum est officium Fratribus nostris, & Proximo consilium auxiliumque ferre) sollicito. Præsentissimum huic malo tuo antidotum habeo. TIT. Remedium da quæso: nam scis innocentissimum huius rei me fore, qui literis omnibus careo, nec potuit filius à me hæc audiuisse, nec à Matre.

GYM. Scio, hac de causa præuenire volui periculis, in quæ præter meritum incidisse potuissetis. TI. Immensas ago tibi gratias Domine Doctor. GYM. Scis quid facias? Puero tuo stultam vestem consui iubeas à sartore, clauamq; fieri ligneam, vt stultorum est moris gestare secum. Ita sine periculo, quicquid loquutus fuerit, per stulticiam excusabitur, etsi maximè sit hæreticum. De stultis enim delinquentibus, nullum sumitur supplicium. Est etiam puer tuus hic verè stultus, licet nõ euidẽter appareat. Sunt enim vt Spirituum, & stultorum ab illis obsessorum genera diuersa: quædam apparẽtia magis, alia minùs, occulta verò cætera, nec nisi maximè Sapiẽtibus perspicua. Prudenter prospice rebus tuis, & amici consilio quantùm tibi charus existis, ac tui libenter acquiescas. Aliud adhuc tibi periculum instat, si hac de re cuipiã dixeris. Nam quæ inter te & me reconditissima sunt, propalàm facies: & his fortassis, qui mox atque resciuerint, prodent, quosq; reputabas amicos fore. Cõsilia hæc tua, nemini reueles, nec etiã vxori, aliàs actum est de te pueroq; tuo. Sile, quodque dixi fac ociùs. Vale plurimum amice Titan charissime. TIT. Vale tu quoque Doctor optime. OCEA. Mi Marite, quidnam cupit Gymnasiarchus? TI. De Sollicito quædam loquutus

tus est. OCE. Quid opus fuit ea tam secretò vos inter tractari solùm? aliquid latet, quòd mihi celatum velis. TI. Suspicios a mulier es tu nimium. OCEA. An quæ filium concernunt, tibi mihique non sunt æqualiter communia? TI. Quid ni? OCEA. Dic ergo quid velit iste. TI. Vis dicam, cogisnè mulier? Dissuasit mihi puerum literis committere. OCEANI. Quî sic? TI. Ob vacillans & inconstãs eius ingenium. OCEA. Cui præfici suasit igitur artificio? TIT. Nulli, hoc ipsum relinquit nobis. OCE. Otiosum tamen viuere hunc nõ licet. TIT. Rogemus ambo Deum, vt inspiret, quid cum eo nobis agendum sit. Dormitum nos conferamus in crastinum.

Titan, Oceanitis, Sollicitus & Sartor.

TITAN.

QVid Oceanitis hac nocte habebas, quod in somnio dormiendum inter, murmurares? OCEA. Mulierem ante cubile stantem, aut Virginem cum insonte puero, quæ me sic alloquuta est, videbam. Oceanitis, inquit, ne contristeris, si filius tuus Sollicitus, vt hic puer vestiatur. Erit fatua vestis, ipse verò Sapiens. Hęc est Voluntas Dei, qua gloriam suam hominibus in hac parte notã esse vult. Cui sic ego. Fiat Voluntas Dei.

His

" His dictis euanuit ab oculis meis. Experge-
" factæ mox inde, nec dormiuisse visum est
" mihi. TIT. Oceanitis mei pars altera, precor audi. Hæc eadem Virgo Sollicito filio nostro iam bis in somnijs apparuit, vt ipse retulit, quũ interrogassem quid ea nocte egerit, qua somniare diceres eum sæpiùs. Et statim atq; narrare finijsset, adijsti nuncians adesse Gymnasiarchum. Qui hæc eadem suasit, quæ Nympha tibi filioq; fieri necessum esse protulit. Ne sis ergo rebellis oraculo Diuino, quod in eo velit operari Deus libenter expectans. OCEA. Quod Deo visum est, & mihi. TI. Accede fili. SOL. Quid me vis Pater mi chare. TI. Vestiendus es vt stultus. SOL. Dei, tuaque voluntas fiat, obediendum est mihi. TI. Sartorem ergo nostrum accerse. SOL. Sartor, opera tua Pater indiget, veni mecum si vacat. SAR. Eamus fili. Saluete Titan & Oceanitis. TI. & OCE. Te quoque saluere iubemus. SAR. Quid est, quòd me vocari iusseritis? TI. Cuperem à te scire quanto panno filius hic opus habet, ad vestem stultam & caputiatam, vt induatur ea? SAR. Mirum audio. Mentis compotem filium, stultum essе cupis? TI. Sic mundo visùm est, permisitque Deus ita fieri. SART. Vix palmi duodecim illi satis erunt. TI. Eme, consue, numerabo tibi quum attuleris omnia. SAR. Mensurabo

furabo priùs pueri tui proportionem. Longam esse cupis hanc? TI. Maximè. Non aliàs quàm stultis fieri solitum est. Nihil omittas eorum, quæ stulto conueniunt. SAR. Vnius vel plurium colorum? TI. Quid videtur tibi potiùs? SART. Minùs eminùs videbitur, si fuerit color tantùm vnus. TI. Sit igitur: at vide statim absoluatur. SART. Cras adferam (Deo volente) sub vesperam. Vale. TI. Sollicite fili, vicinum ad me Fabrum lignarium voca. SOL. Vicine, Pater meus paucis te vult. FAB. Estnè domi Pater tuus? SOL. Est quidem. FAB. Iam tecum veniam. Salue Titan. Filius tuus ad te uenire me iussit. TI. Optimè, cuperem clauam à te confici. FAB. Qualem esse uis? TI. Stultam & ligneam. FAB. Fiet. SAR. En adfero uestem ô Titan. Visnè, puer induat, experiamurq; si ritè conueniat suo corpori, uel in ea quod emendandum sit? TI. Probè. Sollicite ueni huc. SAR. Quadrare meliùs non posset. Quidnam tibi uidetur? TI. Benè est. Quantum exsoluere teneor? SAR. Pro panno sesquiaureum exposui: tum laborem existimo semiaureo. TI. En habes. SAR. Valete. FAB. Clauam adfero. TI. Quid numerabo? FAB. Bessem. TI. Accipe. FAB. Vale. SOL. Mi Pater, annue precor, vt Facetum fratrem in Aula meum præ cęteris dilectissimum, à quo etiam diligor, adeam.

TIT. Cras adibis mi fili, instat nunc vespera. SOL. Vt voles mi Pater. TI. Cubitum eamus in crastinum sub Dei custodia. Oceanitis, iterum somniare mihi videtur Sollicitus. OCE. Audio quidem. TI. Sollicite, quid somniasti preterita hac nocte? SOL. Rursus apparuit mihi Nympha, quæ respondere iussit interrogantibus, cur sic indutus forem. Sorbonum Sapientia, me stultum factum esse. Sed pollicitus es mi Pater, quòd ad fratrẽ ire me permitteres hodie. TI. Ito fili. Pueris tamen irridere te volẽti b. ne respõderis, rectà pergito. POP. Quis hic nouus prodit stultus? Titanis filius, apparet maximus. Is ipse est: quî sic Sollicite? Certastinè cum aliquo te hac indutũ veste, proditurum in publicum? SOL. Sorbonum Sapiẽtia, stultus factus sum. Aperi quęso Portenarie, fratrem inuisere cupere. POR. Fratrem aliquẽ hîc habes? SOL. Petis an hîc fratrem habeã? Nunquid nosti me? POR. Sollicitus, an alius es? SOL. Ego ipse, & nõ alius. POR. Cur sic indutus? SOL. Sorbonũ Sapientia, stultus factus sum. POR. Tales Doctores promouere nolunt isti Sapiẽtes. SOL. Vides. POR. Intra igitur, & in Aulam ascẽde. Ridere facies aliquos aut flere. S. Vbi est frater meus Facetus? PLA. Quidnam accidit Sollicite? S. Sorbonum Sapientia, stultus factus sum. PL. Facete, prodi foras, frater te vocat. FA. Quisnam,

nam, Sollicitus? PLA. Ipsemet. SOL. Salue mi frater charissime. FA. Mẽte captus es frater, quòd sic indutus prodeas? SOL. Noli flere mi frater optime. Sorbonum Sapientia, stultus factus sum. FA. Patris iussa, vel Sorbonum te facere decet? SOL. Eius assensu factũ est. FA. Quid audio? Nunquid Patrem repueraſcere credam? Heu me miserũ, qui hæc in te videre non tantum, sed vitæ meæ tedet omnino. PL. Abstine precor mi Facete. Fletus istos cohibe tuos, donec huius rei causam didiceris. Illustrissime Princeps, mirum accidit. PRIN. Quid hoc est? PLA. Filius Titanis maximus natu, Faceti frater, huc venit inuisum fratrẽ, stulta veste quidem indutus, & clauam gestans manibus, stultorum instar. Facetus aũt à lachrymis tẽperare nullo modo potest, nec à quopiam consolari. PRIN. Ambos huc introduc ad me, videã & audiá quid hęc sibi velint? PL. Sollicite, tu quoq; Facete. Princeps ad se venire vos iubet ambos. Intrate. S. Salue plurimũ Fœlicissime Princeps. PR. Tibi quî sic accidit Sollicite? S. Sorbonũ Sapiẽtia, stultus factus sum. PR. Sorbo tu fieri cupis? S. Absit à me procul eorum insania. Sed Patri persuaserunt, vt me sic indueret. PR. Qua de causa? S. Pater meus nouit, ego verò nõ. PR. Titanẽ ad me voca. PL. Mi Titá, Princeps Illustrissimus ad se venire te iubet. TI. Veniam.

Eſtnè Sollicitus apud fratrem? PLA. Eſt, hac de cauſa Princeps audire cupit à te quî ſic de puero tuo contigit. TI. Saluere te plurimùm opto Princeps Illuſtriſsime. PRIN. Tu quoque ſalue Titã, Vir optime. Quid actum cum filio tuo Sollicito? TI. Princeps Illuſtriſsime. Cùm filijs quinque meis optionem vitę ſibi comparaturæ dediſſem, hic natu maximus elegit humanam Sapientiam addiſcere. Sorbonum adij Gymnaſium cum eo, Prę ſidem rogans Collegij, vt interrogaret, iudicaretque an idoneus foret filius. Examinauit, reſponditque puer. Quæ tamen illa fuerint inter ſe diſceptata, penitùs ignoro. Nam expers ego ſum literarum omnium. Altero die venit ad me Gymnaſiarchus amicè (prout aiebat) admoniturus me, ne quid ob filiũ (quem Hęretica multa reſpondiſſe dicebat) paterer, ſtultam illi veſtem & clauam curaré fieri. Sic omne quod ab eo, quantumuis hęreticè dictum foret, non magis, quàm à ſtulto requireretur. Ego verò metuens, feci. Hoc tamen iniunxerat (cuius non meminera) ne cuipiam hominum dicerem, nec Vxori propriæ. Nam aliàs maius imminere periculum, propoſuit. Et quamuis ægrè ferrem hæc exequi, ſtimularunt ad hoc nihilominus aliquot ſomnia pueri, quibus acquiſcere viſum eſt. PRIN. Sollicite. Quid verborũ cum

cum ipso Gymnasiarcho Sorbonum habuisti? SOL. Illustrissime Princeps. Cùm ego humanæ Sapientiæ scopum addiscere cuperem, quisnam hic foret interrogauit. Ego satietatem constantem omnis humani desiderij completivel inexpleti fore dixi. Qui mox ad hoc ventrem & Venerem adduxit, inquiens, ea fore desideria humana. Verùm ista negaui sub diffinitione mea complecti. Nam quæ sunt ex appetitu naturæ veræ, non esse humana desideria, sed naturalia: Quæq; necessitatẽ naturalem excedunt, humana corruptæque naturæ dixi desideria. Quandoquidẽ totus homo per peccatum corruptus fuit, excepto lumine Dei, quod in eo quidẽ non corruptũ nec naturale, sed suprà naturã erat. Quodque hominem ad incorruptæ naturæ satietatem reducere niteretur. Cùm autem reddere minimè posset rationẽ eorum quæ proposueram, stultum fore me iudicauit, ac Hæreticum. Ego quidem ab vtroque me immunem asserens, fatuum fore iudicium eius protuli. Postmodùm, vt à Patre iam audiui priùs, has mihi molitus est insidias.

PRIN. Video quidem eos ægrè ferre pueros eorum subodorasse negotia. Sine Titan. Ipsa Veritas per se potens est. Puerum hunc si lubet, relinque mihi penes fratrem educandũ, atque suis erudiendum Præceptoribus. Nõ

exibit, nisi quũ egomet exiuero Palatiũ, ne vexetur ab inscijs & pueris. T. Fiat quod iubes Illustrisime Princeps, & vale. Oceanitis. Nõne tibi dixeram hæc in meliùs puero successura? OCEA. Quî sic? TI. Princeps eum retinuit cum fratre Præceptoribus instruendum. OCE. Laudetur D. O. M. qui nihil vnquam frustra fecit. Iam de filijs omnibus optimè sua benignitate disposuit. Vlteriùs vt prouidere velit oremus assiduò.

Princeps, Placidus, Facetus, Sollicitus, Populus, Gymnasiarchus, Licentiatus, Baculaurius & Portenarius Interloquutores,

PRINCEPS.

PLacide, iube cæteros ad Concionẽ parare se mecũ ituros, & Facetum assumere fratrem secum. Estnè pulsatum? PL. Est Illustrisime Princeps. Iam secũdò pulsatur iterum. PRIN. Eundũ est igitur. PL. Adeste vos omnes. Princeps ad templũ se conferre vult. FA. Veni mecum Sollicite frater, à me ne recesseris. S. Paratus venio. FA. Mane hoc loco tantisper immotus, donec redeam à Principe, cui libellũ hunc defero. S. Iam adimplendũ est, quod in somnio facere me iussit Nympha mea, nempe Sorbonum adire templũ, &

sub

ſub mediam eorum concionẽ & ex oppoſito pulpiti cõſcendere ſuper altare. Populũ etiã aduocare coram quo, de Gymnaſiarchi conquerar inſidijs. En altare quod ſuggeſti locũ referet, aſcẽdo. Conciues, Patres, Matres, Fratres, atq; Sorores adeſte mihi. Quęnã iniuria per hos mihi facta ſit, verſipelles homines, audite quæſo: Cõciuis veſtri ſi vos mouere debet calamitas, ad quã ipſi me præter ęquitatẽ redegerunt. GY. Amouete ſtultũ hunc tumultuantẽ, atq; ſermonem perturbantẽ, excludite quęſo tẽplo huic, ciues optimi. POP. Dicat priùs quod incœpit, audiamus quid aduerſus vos habeat, cur inſurrexerit. GYM. Stultis nec auris, nec adhibenda fides. POP. Ciuis noſter eſt, nec antea ſtultum agnouimus eum, quàm diceret nobis interrogãtib. cur ſic indutus prodiret, Sapiẽtia veſtra factũ eſſe. Volumus audire nũc, quĩnãid acciderit. Perge Sollicite fili. s. Quũ Pater meus Titã filijs ſuis omnibus meis fratrib. & mihi natu maximo vitę parandæ laborib. aut induſtria dediſſet optionẽ. Sapiẽtiæ humanæ finẽ aut ſcopũ addiſcere cupiui. Quò factũ eſt, vt me ad hunc Gymnaſiarchũ duxerit examinandũ. Qui rogãs ea quę ſibimet erãt incognita vel inaudita priùs, vt oportuit reſpõdi, quæ Sapiẽtiã eius, & collegarũ ſuorũ cõfunderẽt. Ipſe verò ſibi ſuisq; metuẽs ne techna vobis

palàm foret eorum atque dolus, Patri meo perſuaſit aſtutia, me prout videtis indui: falsò dicens hæretica me protuliſſe. Cùm nullius alterius tamen quàm ventris ac Veneris quæ contra meas rationes arguens, ipſemet adducebat, eum redarguiſſem. Videte quæſo, quales Doctores iſti Sapientes promouere norunt. Non ſine Dei iudicio factum eſſe putetis, at ſolùm, vt manifeſtò iam pateat ab indicijs iſtorum hominum Sapientia. Conſiderate, quales etiam à ſuis Collegijs prodeunt homines induti veſtib. meis, nunc haud abſimiles: vt hominibus abdita perquirentibus notum ſit, eorum Sapientiam, ſummá fore ſtultitiam. Plura latent, quæ mihi relata minimè fuerunt hactenus: in poſterum tamẽ reſcietis omnia. Siquidẽ occultũ eſt nil, quod ſuo tẽpore nõ reueletur. Valete. POP. Siccine Caphardi, cum Ciuibus agitis, veſtramque tetigitis nequitiam? FAC. Vbi tu fuiſti frater, nunquid rogaram vt non abſcederes hinc? SOL. Imò, ſed aliud onus incumbebat mihi fratrer. FA. A quo? SOL. A Nympha mea, quæ mihi tertiò iam in ſomnis apparuit, & hac nocte hortata eſt, atque docuit ea quæ contra Gymnaſiarchum concionantem agere conquerique deberem hodie coram populo. Feci quod iuſsit Ciuibus aſtantibus. FACE. Tumultum excitaſtinè? SOL.

Minimè

Minimè verò, ſedatiſsimè facta ſunt omnia. Sed ipſe libentiſsimè voluiſſet eijci me, iuſſitque, populus tamen audire me voluit. GY. Deus bone, quid iam conſilij? Populus contra nos excitatus eſt, reuelata ſunt omnia fermè. LIC. Nunquid meliùs fuit conſiliũ meum exequi? BAC. At meum potiùs non ita proditum fuiſſet. GYM. Magiſter artium decepit nos. MAG. Egonè? Ab homicidio potiùs coercui vos, & puerum à nece liberaui. Perditiſsimos homines in veſtra vos malitia relinquo, iamiam à vobis recedo prorſus. GYMNA. Tenete ne recedat, maiusq; nobis moliatur exitium. LIC. & BAC. Non potuimus. Aufugit. GYM. Sancta Maria nunc adeſto miſeris. Actum eſſe de nobis video. Quid agemus? Ad Euangelicos ibit, noſtraque patefaciet arcana. Conſulite precor. LIC. Præueniendum eſt, ad Principem confugiamus. De ſuis in templo noſtro ſeditionem excitantibus conqueramur primùm. Torpeſcédum in hoc negotio nobis non erit. GYMN. Eamus ociùs. Venite mecum. Portenarie nobis aperi. Principem adire cupimus. PORT. Prandet iam, impeditus eſt, à prandio redite. GYM. Vrgentia ſunt negotia, quæ propter moram periclitarentur. POR. Cubicularijs dicam. Sorbones tres adſunt præ foribus, ad Principem introduci cupiunt. FA. Sine me

illos alloqui. POR. Iam veniet qui respõsum dabit. FAC. Quid cupitis? GYM. Ad Principem admitti. FAC. Non est illi otium vt vos audiat. GYM. Prægnantia nobis sunt negotia, quæ referamus illi. FAC. Quid vobiscum est quod agat Princeps, cui nullam præstatis obedientiam. GYM. Quid non fecimus eorum quæ iusserit? FAC. Vos ipsi hoc scire potestis, mea non interest. Abite hinc, non intromittemini. Portenarie, iussit Princeps ad se neminem admitti. POR. Obediam sedulò. Domum redite Patres, frustra manetis hîc. GYM. Estnè puer ille, qui iam aderat, filius Titanis? POR. Est, aliumque fratrem hîc apud Principem habet. GYM. Quo nomine? POR. Sollicitus est nomen eius. GYM. Stultusnè? POR. Stultam vestem habet, cerebrũ autem plurimis Doctoribus longè sapientius. GY. Auditis fratres. Quid obstabit nũc, quin coquina ruat in penarium, omnia perfundens, pereamusq; nos fame iam omnes & siti? LI. Mox despondes animum. Eamus domum & sumpto prandio, conferemus de capescendo consilio. BACV. Eamus, fameo. Prima iam instat à meridie, nec nisi ientatus hodie semel, offam, & carnis tantillùm comedi, quantũ sinistra manus capere potuit.

Princeps,

Princeps, Concionator & Magister artium.

MAGISTER.

AD Concionatorem ibo, rogabo vt me recipere velit in Ecclesiæ veræ membrum. Transactæ hactenus in sordibus vitæ pœnitet. Admonitus in propria conscientia quietem reperio nullam, donec Euangelij Veritatem professus fuero. Salue Domine Doctor. CON C. Tu quoque Domine salue. MA. Collegarum, penes quos antea vixi, nequitiæ nausea, me premit admodum. Ad te pœnitens confugio, cupiensque Charitatis ergò, in veræ Christianæ membrum Ecclesiæ recipi. CON. Quî factum est, vt Sorbones tuos reliqueris? MAG. Audies Domine si lubet. Ciuis quidam nomine Titan, transactis diebus aliquot, filium suum ad Gymnasiarchum adduxit erudiẽdum. Puer verò Diuino (quod credendum est) afflatu, respondit interrogatis eius, quæ sectam illam facilè cõfundebãt. Quapropter Gymnasiarchus, metuens ne puer hęc in publicũ efferret. Cõuocatis nobis ad Capitulũ, in eũ conspirarunt. Licentiati cuiusdã cõsilio dato, filiolũ insontẽ, vt in sylua, per quã ad fratrẽ Carbonariũ ire solitũ esse dicebat, iugularẽt ac sepelirẽt. Vel alias Baculaurij suasu, poculo venenato

peri-

periret. Verùm quod periculosum hæc attẽtare visum erat. Me autem quòd eos homicidij concepti meritò redarguerem, etiam persecuti sunt, occidissentque ni fallor, si fuga manus eorum non euasissem. Cõclusum in cubiculo, rursus bonis verbis, ac munere decem aureorum per fissuram ianuæ trusorum, fideque data nil se facturos mali, reuocarunt in Capitulum, consiliumque meum habere conati sunt. Nescio quo fato consiliũ hoc inditum est, vt loquerer in pueri saluatonem, Patri scilicet vt persuaderetur, filium induere veste, qua stulti solent, ne fides adhiberetur dictis eius. Ita factum est. At quòdnõ benè cesserit, illis iterùm acriùs in me sæuiẽtibus aufugi prorsum, nec ad eos vnquam redire cupio. CON. Hæc manu tua conscripta, Chirographoque tuo munita, quæ Principi legenda præbeam dabis. MAG. En habes, & amplè satis, vt res ipsa successit. CON. Principem adibo, tantisper morare hîc donec redeam, tibi de suo mandato responsurus. MAG I. Non discedam hinc donec reuersus fueris. CON C. Accidit Illustrissime Princeps, quod latere tuam Celsitatem nulla ratione debet. Sorbonum vnus à sua secta desciuit, ad veram & Euangelicam Ecclesiam, cupiẽs vt membrum eius recipi. Causam cur id fecerit, hac in papyro manu sua propria seriatim

tim exaratam,si lubet,legere poteris. PRIN. O Deus Misericors, quanta est hominum iniquitas,& adhuc sustines eos? Eo nobis patefaciens maiorem esse tuam erga genus humanum, quàm sit istius impietas,misericordiam. Puer hic apud me est, cum fratre suo Faceto. Non audiuisti quę cum Sorbonibus verba habuit? CON. Nondum ad aures meas peruenerũt Princeps Illustrisime. PRIN. Lege igitur quæ ex ore pueri descripta sunt. CON. Non habeo quod ad hæc respondeã, aliud quàm dispositione Diuina hæc fieri. PRIN. Ipsimet foueam sibi parant, in quam decident. CON. Si tua Celsitas iusserit hunc recipi Sorbonem pœnitentem,ad instituendam Iuuentutem, post Primarium erit idoneus. Magister est artium, & eruditissimus, facilè Diuini Spiritus auxilio, pietatem Euãgelicam addiscet. PRIN. Facito quod ad ædificationem est Ecclesiæ, prout sæpiùs iam dixi. CONC. Verùm in tam admirando casu non erat æquũ sine iussu mei Principis me quicquam agere, ne hominem hunc ab eis traxisse falsò dicerer. PRIN. Scriptum hoc serua,si forsitan opus erit eo postea. Magister hic induatur alijs vestibus ex ærario Scholę. Si quid habet, quod ad Sorbones pertinet, remittat. CON. Curabitur. Vale Princeps Feliciſsime. PRINC. Tu quoque bene vale.

CON.

CON. Mi Magiſter, obtinui quidem à noſtro Principe, vt recipiaris ad eruditionem Chriſtianæ Iuuentutis in Schola quam inſtituit. Ea conditione tamen, vt poſt Lectorem Primarium in omni pietate pueros doceas, & ipſum te in ea diligenter exerceas. Alijs indueris veſtibus nobis conſuetis. Et ſi habes à Sorbonibus quocunq; iure, iuſſu Principis vt reſtituas oportet. MAG. Decé aureos quos dedit Gymnaſiarchus, & veſtem hanc remittam, cruciplexque pileum hoc. CON. Hoc facias, ne calumniandi ſit illis occaſio.

Princeps, Gymnaſiarchus, Licentiatus, Baculaurius & Ciues Interloquutores.

GYMNASIARCHVS.

PRanſi iá de negotio noſtro differamus. Adfer ſi quid habes Licentiate conſilij? LIC. Non ſuaderem vt ampliùs in Palatium intrare conaremur Principis, & fruſtrà: nam impedient filij Titanis. At potiùs eſt, vt cùm Princeps redit à Concione domum, expectemus eum præ foribus, non templi quidem, ne videant Euangelici, verùm Palatij. Sic omittere non poterit, quin ſalutátibus nobis, reſpondeat. GYM. Benè eſt. Quid ad hæc addes Baculaurie? BAC. Vt aſſumamus eos, qui nobis adhærent Ciues, hisque magis moue

bitur

bitur Princeps. GYM. At illi puerum iusserũt in templo pergere persistereque, nobis eum amouere conantibus. BAC. Hi fuerunt Mechanici tantùm pauperiores, non primarij. GYM. Non satis erit vt conqueramur de iniuria nobis in templo facta, sed vt accusationẽ, falsò licet excogitatam, addamus oportebit. Cogitate vos, an quid nequitiæ sit in promptu, quæ colorem habeat. LIC. Iam tuum erit hoc facere, suum vterque iudicium dedit. GYM. Quid si dicamus, Facetum loquutum esse nedum contra Magistratum & Principem, sed etiam contra Scripturæ Sacræ documenta, quum diceret: Quid vobiscum est quod agat Princeps, cui nullam præstatis obedientiam. Et si inuertamus, Principibus & Magistratibus obedientiam non esse præstandam eum dixisse mentiamur? Sed probatione testibusque nobis opus foret. LIC. Bibo nobis vnus erit, modò quid pollicearmur, aut potu ventrem illi repleamus & cerebrum. BA. Et Quadrælambus alter. GY. Optimè rem agent isti. Vocentur: nã in Collegio nostro nõ cõmorantur. Aliàs haberentur suspecti, vel in eos cadere posset exceptio. Vtrumq; vocari iubeas ô Baculaurie. BA. En adsunt. GY. Bibo, necnon tu Quadrælambe Vicini charissimi. Vestram si volueritis nobis operã impendere, compensabimus egregiè.

BIB.

BIB. & QVAD. Dicite saltem in quo vobis valeamus obsequi. GYM. Bibite priusquàm dixero. Profectò si feceritis, ad cœnam vos & prandium sæpiùs inuitabimus, excipiemusque lautissimis. At res ipsa tanquam arcanũ celari debet. Aliàs eam committere vobis nõ ausimus. BIB. & QVAD. Tutò his deponetis auribus & pectoribus, vti latebris perpetuis. GYM. At iuramento primùm opus foret, quo sanctireris. BI. & QVA. Iuramus ad omnia, &c. GYM. Audite modò. Quidam Aulicus Titanis filius, vltrà fratris iniurias in tẽplo nostro nobis illatas (vt audistis) aliàs ante Palatij portam, nedum in nos, verumetiã in propriũ Principem suum, & Magistratũ huius Vrbis: imò quod magis est, in Scripturam Sacram ausus est effutire. Propter quas ad Principem ituris nobis, vnà cum aliquot Ciuibus est conquerendum. At quia caremus testibus, cuperemus affirmare vos audiuisse Facetum ita loquutum esse: videlicet
" Principibus & Magistratib. obedientiá nõ
" esse præstandam. BIB. & QVA. Aliudnè cupitis à nobis fieri? GYM. Nihil ampliùs modò. BIB. & QVAD. Affirmabimus iuramentis mille si fuerit opus, ac omne quod iubebitis. GYM. Nunc ad Ciues eamus, & rogemus vt nobiscum adire velint hac de causa Principem. Ciues præclari, scitis quàm fuerimus

rimus vobis in omnibus hactenus, & semper esse cupimus obsequiosi, cùm in filijs vestris pietate bonisq; artibus instruendis, tũ sacris omnibus administrandis. Principis etiam vos non fugit Mandatum & Edictum, quo vetitum est, Euangelicos nobis, & nos ipsis fore molestos in exercitio Religionis. Verumtamen audistis Dominico die proximè præterito, quinam hoc. Sollicitus, filius Titanis in Aula degés, iam effregerit. Nec satis esse visum est illis, alter filius & frater Facetus etiam Aulicus, aditum ad Principem nobis authoritate propria recusans, dixit, cõtra documẽta Scripturę Sacræ, Legesq; ciuiles omnes, Principibus & Magistratib. obediendum non esse: cuius etiam rei testimonium dare possumus optimũ ac fide dignũ. Quapropter ne Ciues Euangelici horũ Aulicorum exemplo moti, nos omnino pessundare præsumant, contra Principis Edictũ publicũ, iuuate resistere periculis Ecclesiæ Catholicæ nostrę nimiũ eminentib. & cõqueri nos de suis, nedum sua, sed etiam Dei præcepta violãtibus. CI. Siccine factum est? Obueniendum erit huic malo, ne contemptus augeatur. Vobiscum ibimus. CYM. Iam tempus est: nam Princeps modò recedet à Concione domum iturus. Et priusquàm Palatiũ intret, loquamur illi, si lubet. CI. Eamus igi-

tur. GYM. Illuſtriſsime Princeps, ad Celſitatē confugimus tuam, de iniurijs nobis illatis conqueſturi. Tuæ Maieſtatis Edicto, non licet Euangelicis Catholicos, neque hos, illis fore moleſtos. At Sollicitus filius Titanis, die dominico proximè præterito, Concionem in templo noſtram, ſuper altare ſacrum pedibus calcans, perturbauit, ſeditioſis, hæreticisque verbis, in horum Ciuium, & aliorum Catholicorum omnium præſentia. Prętera frater eius Facetus, nobis in Palatium ad Excellentiam tuam intromitti cupientibus, recuſans introitum, læſæ Maieſtatis crimen ore protulit: vtpote, Principibus & Magiſtratibus obediendum non eſſe. Quapropter, ne reliqui Ciues præſumant, ab Aulicis tuæ Celſitudinis exemplo ſumpto, ſimile quid, vel peius attentare, cupimus eorum temeritatem reprimi, caſtigariq;. PRIN. Quod vos de Sollicito conquerimini, ridiculum eſſe videtur, & eſt. Nam vos ipſi ſtultum feciſtis hunc, veſte ſaltem, vt impune quoduis effutiret: veſtraq; palàm facere volenti, fortè nulla fides adhiberetur. Iam quod commiſiſtis ipſi, vos in alium puniri vultis? Quæ hæc Sapientia eſt? Facetum autem ea protuliſſe minimè credere poſſum. Vocetur, & ſi verū ſit, non impunè fecerit. Audisnè Facete quidnā de te loquuntur Sorbones? Vera ſunt hæc?

FAC.

FAC. Aditum ad Celsitudinem tuam recusasse fateor illis. At quæ me falsò finxerũt loquutum esse, nego. Placidus & Portenarius adfuêre, sciunt ipsi quid loquutus fuerim. PRINC. Placide, quidnam audiuisti? PLACID. Hæc verba sunt quæ Facetus protulit. Quid vobiscum est, quod agat Princeps, cui nullam præstatis obedientiam? PRINC. Portenarie tu quid? PORTEN. Hocipsum quod Placidus Illustrissime Princeps, & non aliud. PRINC. Ecce. Quænam est vestræ conquestionis occasio? GYMNA. Testes habemus extraneos, non domesticos. PRIN. Qui sunt illi? GYMNA. Bibo & Quadrælambus, Ciues hîc præsentes. PRIN. Producantur. BIB. & QVAD. Audiuimus Facetum hæc loquentem, Principibus videlicet ac Magistratibus obediendum non esse. PRIN. Nunquid & vos domestici, vel potiùs locati testes estis? GYMN. Non morantur in Collegio nostro. PRIN. Video quid vos machinamini, scilicet in populo seditionem facere contra Veritatem. At ex voto non succedet vobis. Ex proprio semine, fructum ei similem colligetis. Verùm, ne vobis ansa calumniandi sit, faciam quod æquum est. Ite. Placide, Titanem ad me venire iube mox. PLA. Mi Titan. Princeps noster ad se vocari te iussit, illicò venias oportet. TI. Ibo tecum.

PRIN. Mi Titan, constare tibi minimè puto, quantas filijs tuis moliantur isti Sorbones insidias. Conqueruntur enim: at ego certò scio ficta fore, quæcunq; pueris imponunt. Verùm ne maiorem in vulgo tumultum excitent, proposui Facetũ ad studium aliquod ablegare, Sollicito retẽto. Nam aduersus eũ nullam allegare possunt rationẽ, qua seipsos non prodant. SOL. Illustrissime Princeps, oro vt cum fratre liceat ire mihi, non viuã enim, si ab eo separatus fuero. PRIN. Fraternũ hoc vinculum, ego separare nolo. Dabo viaticum, & omnia quæ necessaria fuerint vobis. Quum ad Academiam appuleritis, mox inde scribite si quo sit opus, mittã. En, habetis pecunias, quibus vos alatis ad tẽpus. Æquo feras animo Titan puerorum ablegationem. Deum id permittere video. Non resistamus igitur eius voluntati, ne peius eueniat. T. Princeps Illustrissime tui sunt isti pueri, de ipsis disponere potes, vt libuerit. Interim ago gratias ingentes, pro tantis in me & in eos collatis à tua Celsitate beneficijs. PR. Pueri mihi curæ sunt. Vide ne diutiùs in hac Ciuitate morẽtur, quàm vale Matri dixerint. TI. Fiet Illustrissime Princeps. SOL. & FAC. Princeps Excellentissime vale fœliciter, & tuos esse nos sine, dũ erimus. PR. Valete pueri. Pacem hanc inter vos alite semper, quam conce-

concepistis. Estote probi, diligētes in studijs, & semper Dei memores. Ite in pace. TI. Oce anitis. En Princeps filios ad Academiam datis pecunijs ablegat. OCE. Ita solos? TI. Deus comes erit. OCE. Meliorem profectò neminē habere possunt. Maneant saltem vno aut altero die. Postmodū abibūt. T. Princeps expressè iussit, vt mox tibi valedicto, recedāt. OCE. Iententur priùs. TI. Iam in Aula ientati sunt. SOL. & FAC. Vale Pater obseruandissime, tu quoq; Mater charissima, vale. TIT. & OCE. Valete filij. Comiteturvos O.M.D. OC. Nunquid ad portam vsque tu futurus es comes? TIT. Minimè: nam iterum & valedicto corda rursus aggrauabuntur vtrinque. Ite in pace filij, præceptaque Principis obseruate quæ dedit vobis.

Nympha, Sollicitus, Facetus & Iratus.

SOLLICITVS.

VIderis mihi tristis admodū frater, quæ causa est? FAC. Patriam lætè relinquere quis potest? SOL. Patriam fœliciorem habemus in cœlis, & Patrem atq; Matrem. FA. Verum est. At iniuria quæ nobis infertur, est intolerabilis. SOL. Quæ maior & iniquior esse potuit ea, quam Christus pro nobis libēter sustinuit? Hanc & nos æquo feramus

animo, si membra Christi fore velimus. Videsnè prosilientem è sylua Nympham egregiam? FAC. Video quidem. Prima nobis obuiam hæc est futura. Bonum vt omen sit nobis opto. SO. Hęc esteadē quæ mihi solet in somnijs apparere. Nunquam antea vigilanti mihi visa est. NYM. Saluete pueri. SOL. & FACET. Te quoque saluere iubemus. NYM. Quorsum tenditis? SOL. & FAC. Ad Academiam aliquam, à Principe nostro missi, patriam relinquimus. NYM. Quam adire cupitis? SOL. & FAC. Primam quæ nobis in itinere hoc offeretur. NYM. Vt ego vos ducam, huc veni. Siquidem ab vtero Matris commissi mihi fuistis, vos vt regerem, atq; docerem ea, quæ in Academijs nullis audiuntur. Quùm tu Sollicite, Gymnasiarcho cum ageres, & tu Facete cum eo, suisq; contenderes, non vos, at ego per vos loquuta sum illis. Ea sum ego quæ tibi Sollicito sæpiùs apparui, Matriq; tuæ semel in somnijs. Iam verò manifestò vobis adsum, vt vos doceam, regam, atque protegam vlteriùs. Ergo sequamini me, hac faciẽdum iter est nobis. SOL. & FA. Libenter inuiseremus fratrẽ nostrum priùs, quem hîc apud rusticum Demogorgonem habemus, & illi valedicto mox tecũ ibimus. NYM. Nõ est domi, sed gregẽ ad pascua duxit hinc remotè satis. Verùm ne putetis me fallere

lere vos, eamus, & vos ipsi petite. SO. & FA. Quis hic est? MAR. Quis clamat? SOL. & FA. Estnè Rudis frater noster domi? MAR. Non. Rus abijt hinc. SOL. & FAC. Vale dicas illi precamur nostro nomine, fratresq; suos Sollicitum & Facetum hac trãsiisse nuncies, vbi domum redierit. MAR. Faciam: at intrate potiùs, mittam ancillam quæ secum reducat huc ad vos. Interim edite bibiteq; hîc, interea veniet. SOL. & FAC. Agimus gratias. Iter accelerandum est. Vale. MAR. Valete filij. Seruet vos in itinere Deus, & comitetur. NYM. Iam ad Iratum fratrem vestrũ ibimus. SOL. & FAC. Salue frater chare. IRA. Saluete vos quoque fratres optimi. Quò pergitis? SOL. & FAC. Ad studium ituri hac iter facimus, vt vale tibi dicamus. IRA. Doctores ambo fieri cupitis? NYM. Habeo hîc propè Studium in quo veram doceo Sapientiam. IRAT. Vbinam? NYM. Sub rupe hac tibi contigua. IRAT. Nunquam vidi quempiam intrantem aut exeuntem. NYMPHA. Quid mirum? Vix in centum annis contingit vnum atque alterum huc pertingere. Non omnibus conceditur hoc loco Sapientiam addiscere, sed illis tantùm, quibus à Deo datum est. Et si millies mille hac transirent homines, huius introitum Scholæ non inuenirent, nisi eos ego ducerem.

Secretiſsimus eſt locus iſte, quem vobis patefaciam: non priùs tamen quàm narrauero, quinam illi, qui nauare cupiunt operam in hoc ſtudio, continere ſe debeãt: ac inde quid emolumenti reportent. Primò, qui huc intrare debent, amoto ſaxo per me hoc, tranſeunt hac, ſequamini me. Hæc eſt Aula, prior q; locus Auditorij noſtri, quem vt intrarũt, qui promouendi ſunt, exuuntur ſuis omnino veſtibus, & hoc lauacro lauantur mundiſſimè. Poſtmodum nudi balneum hoc ſplendidiſsimum intrant, hoſtiolo per me reſerato, ſiggillatoque poſtmodum, ne quiſpiam alius intret. Continuo calore per Promotorem excitato, ſudant eorum corpora frigidiſſimum humorem emittentia. De cuius corruptione Scorpiones enaſcuntur, qui ſuis aculeis & caudis acuminatis corpora ſudantium icta, prorſus interimunt: viuo tamẽ eorum Spiritu remanente per vnionem. Quadraginta poſt dies, iſti Scorpiones in Aquã teterrimam reſoluuntur. Et ex iſtius Aquæ putredine coruus naſcitur, qui ponens ouũ, in Taurum tandem immutatur. Flatibus iſte ſuis mitibus fouet ouũ priùs, ex quo Cignũ auem cãdidiſsimam excludit. Iſta, poſteriùs ouum poſtquam poſuit, in Leonem trãsformatur. Hic flagrantioribus flàtibus ouũ hoc fouet, Regemque potẽtiſsimum & victorioſiſsimum

ſiſsimum excludit. Hæc eſt ſumma proceſſus huius. At vt meliùs rẽ intelligatis, latiùs exponam. Sollicite, necnon tu Facete, ſi hãc ſuſcipere prouinciam audebitis, in Regem vnicum ambo, victoria potentiaq;, Reges omnes terræ ſuperantem, euadetis. Qui reliquos fratres veſtros Reges, & Sorores etiam Reginas coronare poteritis. Nemo vincere vos, quantumuis potens, virtutibus aut Sapiẽtia vos, poterit excellere: ditabitis omnes quotquot volueritis pauperes, & eorum indigentijs obuenietis. Nec propterea minùs erit vobis. Imò potiùs magis ac magis abundabitis. Nã de fonte hoc, vel balneo veſtro, quoties cupiueritis infinitos exhaurire theſauros, erit liberum infrà triduum, ac ſalutiferam ægritudinibus omnibus Medicinam depromere. Hac tamen ratione vos promouendos tantùm ſuſcipiam, vt neminem egenum aut ægrotantem (quantùm obſtare poteritis miſerijs) eorum qui peruenerint ad veſtram noticiam relinquatis. Quæ ſuperſunt, vbi iam Reges eritis facti, per me docebuntur ampliùs. Non eſt quod mortem formidetis corporis: nam aliàs quàm per eam non tranſitur ad gloriam, ad quam reſurgetis abſque dubio. Credite mihi, quæ mentiri nullo modo poſſum. SOLLI. & FACE. Quod eſt tibi nomen? ô Nympha, precamur ne celare

velis. NYM. Veritas ego sum, quæ nihil occultum, quod non reueletur suo tempore, sino. Per me videbitis vindictam de Sorbonibus inimicis vestris meritò sumptá. SOL. & FA. Præstò sumus obedire tibi Veritati Sacræ. Nobis impera modò. NYM. Est quod Irati fratris etiam intentionem audiam. Is enim officium impendere suum vobis debet, calefaciendo balneo. Poteris Irate hoc ipsum efficere simul torrendis carbonibus. Vbi tamen hoc obserues, vt priusquàm ignis vnius cumuli transeat, alter incendatur alteri, noctu diuque semper calor balneum hoc foueat. Aliàs actum erit, ac de resuscitatione fratrum tuorum desperatum, & vnà de Regno tuo. Facigitur si Rex fieri desideras, vt sedulò naues operam ne refrigescat balneum. IRA. Faciam quicquid imperasti, nec desinam ignes extruere, donec finitum sit opus. NYM. Nota primùm, vt ab initio tuos ignes remotiùs, quàm in operis medio struas, propiusq; semper accedas huc. IRA. Obseruabo. NYM. Datis itaq; manibus pollicemini, quicquid proposui vobis, præstaturos fore vos. SOL. FAC. & IRA. Pollicemur equidem. NYM. Exuite vos igitur, depositisq; sordibus in hoc lauacro, balneũ intrabitis. Vestes istas aufer Irate, quibus vtere donec opus absolueris, postea non indigebis. Lauacrum intra Sollicite.

te. Fratrem Irate laua, sordibus ablue primũ hunc, & deniq; Facetum. Iam in irate balneũ hoc splendidissimum ambo. Claudam osthũ seramq;, sigillo signabo meo, ne quis aperire me præsumat inscia. Patientes estote sudorũ, algoris & æstus. Vobis fiet, vt antea dixi. Valete. Rupem etiam admoto saxo, clausum Irate cupio, donec redeam ad te. Nil aliud incumbit oneri tuo, quàm vt continuos ignes intermissione sine construas, vt præcepi. Laborum ingentem vsuram feceris, vtpote Regni luerum tibi, fratribus atq; sororib. tuis. Ad vrbem interea me confero iam, vbi negotia quædam absoluero, tempusq; fore videbitur, huc redibo, doceboque latiùs quid facias. Vale.

Nympha, Gymnasiarchus, Licentiatus, Baculaurius, Pretor, Argentarius & Satellites.

NYMPHA.

TEmpus nunc a dueniſſe video, quo peccatum istorum nebulonum est reuelãdũ. Furati sunt Bibo sociusq;, nomine Quadrelambus, poculũ Argenteũ Sorbonib. Occasio datur hoc medio, qua falsum cõtra Facetũ iniquè testimonium à furib. prolatum, vnà cum eorum impietate, qui hoc emerũt, ab ipsis palàm fiat. GYM. Heu me miserum.

Quis

Quis poculum hoc abſtulit,ô Licentiate,vidiſtinè? LI. Quod,maximum obductum auro? GYM. Maximè. LI. A ſex iam præterlapſis diebus nõ vidi. GYM. Baculaurie tu,non ſcis vbinam lateat? BAC. Minimè. Quum vltimò tot hoſpites inuitaſſes, bibimus omnes ex eo. Nunquid obſeraſti poſt prandium? GY. Ignoro. LICENT. Poti fuimus quotquot ex eo bibimus. Rogetur ſi fortè coqua lauiſſet aqua calente, reſeruaſſetque ſuo in armario, poſtmodùm reportare fuiſſet oblita. GYMN. Sordida,veni huc. Habes tu poculum argenteum in ſcrinio tuo ſeruatum? SOR. Nullum ego poculum vidi. GYM. Deus bone,quid agendum eſt mihi? LIC. Ad Argentarios ito, perconta ſi quiſpiam ad eos venale detuliſſet? BAC. Adhuc aliud eſt quod agat,nempe roget eos,vt ſi quis veniat,poculum illis vẽdere cupiens, vt retineãt. GY. Ibo ſanè mox. PRE. Vnde nobis ades Domine Doctor? Quî ſic mœſtus appares? GYM. Occaſionem habeo maximam: nam furto nobis ablatũ eſt poculum argenteum. PRE. Noſti furem? GY. Minimè, ſed iam ab Argentarijs venio. Nullus eorum adhuc aliquid percepit. ARG. Salue Domine Doctor. GYM. Tu quoque ſalue mi amice. ARG. Iamiam ad me duo venerũt, argenteam adferentes maſſam, omnino cõtuſam, & malleis fractam, vt minimè videri queat,

queat,an poculi formam, vel alterius calicis habuerit antea. GY. Qui sunt illi? ARG. Non noui homines. GYM. Retinuistinè massam? ARG. Retinui quidem ea conditione, vt binas post horas ad me redirent. Interea probarem igne si purum sit argentum, & quid valeret experirer. Sed cuius pōderis fuit poculum? GYM. Triginta sex vnciarum cum dimidia. ARG. Tantundem & massa ponderat. PRE. Fures habebimus. I domum Domine Doctor. Non est quod cures ampliùs. Ego iá quatuor Satellites ad Argentarij domum ire iussurus sum, qui se clàm abscondant alicubi donec veniant fures, arripiantque. Valete. Ministri iustitiæ, vestrûm quatuor iussu meo domum Argentarij talis adeant, & in angulo quodam latitent. Vbi duo fures venerint, pecunias pro massa quadam Argentea petétes, eos mox in carceres inijcite. SAT. Domine Pretor, capti sunt quos iusseras. PRE. Tortori committantur examinandi, plura perpetrarunt indubiè facinora. SAT. Hæc est eorum torturæ confessio. PRE. Haha. Ad Principem eundum est. Illustrissime Princeps. Duos fures in carceres detrudi iussi, qui poculum Argenteum Sorbonibus furati sunt. Inter cætera fassi fuerūt se falsum dixisse testimoniū in Excellentiæ tuæ præsentia nōnullorūq; Ciuium, aduersus filios Titanis, famulos

famulos Excellentiæ tuæ, sed à Sorbonibus instructi seductiq; pollicitationibus. PRIN. Teneantur donec opus fuerit eorum confessione. PRE. Fiet Illustrissime Princeps.

Pretor, Gymnasiarchus, Licentiatus, Baculaurius, & Satellites.

SATELLITES.

DOmine Doctor, fures capti sunt. GY. Quinam sunt? SA. Bibo & Quadrælambus. GYM. Illinè? SAT. Illi ipsi. GYM. Mallem alios fuisse. Non credidissem profectò similes eos fore. Doleo sortem istorum hominum. Licétiate, tuq; Baculaurie mox eamus ad Capitulũ. LI. Quid rursus habet iste? BA. Me latet. Infortunio plenus est, & qui cũ eorem habent. GY. Nũquid nos miseros nedũ fortuna mala, sed præcipites etiam esse vult? LI. Quid narras? GY. Actũ, imò de nostra salute prorsus desperatũ est. BA. Dic breuib. quid sit. GY. Heu me miserũ, & vos effari nequeo. Bibo & Quadrælambus detrusi sunt in carceres. LIC. Res est hæc tanti momenti, propter quã desperare debeas? GY. Nisi hoc foret, nõ esset quod curaremus, etsi laqueo suspenderentur. BA. Quid ampliùs? GY. Poculi nostri fures ipsi fuerunt. LI. Fac vt poculum redhibeas. GY. Libẽter poculum amisissem, & bis tãtùm, si putassem eos fuisse, non iuissem ad

Argen-

Argentarios ex vestro consilio. LIC. Quare, dic omne, quicquid periculi scis imminere. GY. Si torqueantur, etiam de falso testimonio minimè silebunt. LI. Non scis remediũ? Ad Pretoré ito, roga vt eos dimittat oblato sibi munere. GYM. Non faciet. BA. Experire. GY. Venite mecum igitur. LI. & BA. Eamus. GY. Domine Pretor, hi fures amici nobis fuê re, nec putaramus eos tale quid vnquam perpetrare velle. Mortem eorum nõ cupimus, at potiùs vt liberentur & viuant. Non est nostræ professionis, vt propter nos effundatur sanguis Proximi, velle. Dabimus tibi massã illam poculi, si liberos dimiseris, excusatione dimissionis ab eo sumpta, quod poculũ nostrum inuenerimus, & ipsi massam illam in terra sepultam repererint. PRE. Ite Patres domini vos domum, & studete meliùs. Iustitiam non vendo, nec Veritatem in iniustitia detineo, prout cupieretis. Argentea massa vobiscum sit in perditionem. GY. Nonne dixeram ipsum non facturum? Quid nunc erit cõsilij? LI. Miror quanam ratione Doctor factus sis, qui non possis reperire, tuis maximè rebus, cum fuerit opus, remedium, vt semper ad nos confugias. Demùm, si quid malè cedat, imputare nobis, quàm fortunæ magis non erubescas. BACVLAV. Profectò, parùm abesset, quin Magistrum imitarer artium.

GYM.

GYM. Absit, vobis ampliùs nunquam imputabo quicquam: vestrum nunc adhibete consilium. LIC. Miser homo tu, poculum aliud priori simile forma pondereq; iube mox extra Ciuitatem fabricari. Quo facto, Ciues eosdem inuita quos habuimus eo tempore quum priùs poculum ablatũ est. Et vbi quintum atq; sextum quisque nostrum hauserit, ego hoc in scamno sedens à pariete non amobili, sed ab eo distante parùm, cum Baculaurio ludens omnibus cernẽtibus, mutuis de vacuando poculo disceptationibus, & eleuato meliùs vt intret, pileum cruciplex inter parietem & scamnum, post tergus decidere sinam in eundem locum, in quem poculum hoc nouum posuerimus. Fieri non poterit quin aliquis extraneorũ, vbi me nudato capite viderit, pileum leuare non conetur. Quod vbi fecerit, poculum etiam necessariò videns eruet. Sic fiet, vt gaudeamus omnes in poculo, diem festum cantemus. Resurrexit quod mortuum fuit, &c. Testes innumeros habebimus. De massa quidem nõ est quod simus solliciti. GY. Bonum est hoc sanè consilium: at ipsum dare debuisti priusquàm ad Prætorem iuissemus. BAC. Nemo adfuit quũ hæc loqueremur. Deinceps quid ipse contra tot & tantos testes fidedignos, & Ciues omnes? GYM. Gallina peperit ouum;

canta

canta Sordida nobiſcum. At quî de teſtimonio falſo nobis eſt agendum? LIC. Torturæ hoc imponemus quodtiis extorquenti. Nimiùm es ſollicitus, tace modo, fac ſaltem quod inter nos determinatum eſt.

Princeps, Concionator, Placidus, Titan & Nympha.

PRINCEPS.

MIror Placide, pueros non ſcribere, iã tempus aliquot abijt. Accede Titanem, & vide ſi quid literarum ipſe acceperit. PLA. Fiet Excellentiſsime Princeps. Titã vbi eſt? OCH. Lecto miſerrimus Pater decumbit, egoque niſi miſerta ſui, mortem obire potiùs vellem, quàm viuere. Verùm licet me circumquaq; mœror premat, vt conſoler eũ tamen, ac inſeruiam in ægritudine ſua grauiſsima, gradior vt poſſum. PLA. Quid infirmitatis habet? OCHA. Anxietate laborat in mortem vſque de filijs. PLA. Licet mihi nomine Principis ipſum inuiſere? OCHA. Maximè, veni precor, & conſolare quî potes. PLAC. Salue mi Titan. TIT. Salue mi Placide. PLA. Princeps inuiſere te per me voluit. Quid agis? TI. Vides. PLA. Quænam hæc eſt infirmitatis occaſio tuæ? TI. Filiorum abſen-

tia tanta me malè habet: quodque non audiam ab ipsis, nec ab alio quopiam, quid sibi contigerit, & an viui mortuiuè sint, cùm nō scribant. PLA. In Deo confidendum est, mi Titan. Is pueros conseruabit. Princeps de ipsis bonam spem habet. Esto bono animo precor, & si quid sit, quod nomine tuo præstare possim, dic solùm, & libentissimè faciā. T. Aliud nihil, præterquā si de pueris audiueris indicare velis, charitatis ergo. PLA. Faciā sanè, statim atque perceperim aliquid, nunciabo. Vale. Princeps Illustrissime, Vir bonus ille Titan, mœrore de filijs concepto decumbit vsque ad mortem, & eius vxor apparet semimortua. PRIN. Itanè? Bonum erit, vt Cō cionatorem ad eum qui consoletur ex scripturis, mittam. Placide meo nomine dic, vt ipsum adeat. PLA. Domine Concionator, Princeps Titanem decumbentem lecto mœrentemque propter filios, quod non scribāt, vel audiat ipse, quidnam illis acciderit, adire te cupit & consolari. CONC. Ibo iamiam absque mora. NYMP. Dato priùs animæ suo medicamento, corpori suum etiam est adhibendum. Iratum scio nunc opus absoluisse. Regem de carcere liberabo, qui Patri subueniat. Irate salue. IRA. Expectata iam per annum ferè Nympha, mihi fœliciter adsis modò. NYM. Semper adfui tibi licet nō videris,

aliàs

aliàs opus ita per teipſum abſoluere non potuiſſes. Amoto hoc primo lapide mecum intres. En fratres vides per tranſparens balneum? IRAT. Video quidem corpus vnum rubicundiſsimum, capita duo tamen habēs aureis ornata coronis. Vnum apparet Sollicitifratris, & alterum Faceti, poculum aureum dextra manu tenere Sollicitus, & ſceptrum etiam aureum ſiniſtra manu Facetus, ac binos tantùm pedes ambo videntur habere brachiaque bina. Sed quo nomine iam vocandi ſunt? NYM. Rex in terris potentiſsimus vocabitur. Sigillo ſeraque reſeratis iam prodi Rex in Altiſsimi nomine Dei, cuius ad gloriam factus es. REX. Laudetur Deus in ſæcula, qui dedit admiranda ſua videre hominibus. NYMPHA. Grauiſsimo tuus Pater morbo laborat ô Rex, eamus, & ſanitatis poculo tuo Matrique peſsimè habenti ſubuenias. Non eſt quòd moremur diutiùs, ne de vita ſit periculum. Poſtea Fratres & Sorores coronabis. Irate congredere. IRAT. Patri quînam eſt Mater chariſsima? OCEAN. Peſsimè habet mi fili, nec mihi benè eſt, vt vides. IRATVS. Iam Fratres redierunt in Regem vnicum & potentiſsimum facti. OCE. Quî ſic? IR. Audies poſtea quàm Pater ſanatus, ac tu libera ſis à languoribus tuis.

REX. Salue chariſsima genitrix. OCEA. Regisnè Mater ego ſum? REX. Nouiſtinè filios ex facie? OCEA. Solliciti quidem effigiem & Faceti filiorum: at corpus tantùm vnum cerno. REX. Ambo ſumus hîc Titanis, & tui filij, Rex vnicus. OCEA. Oſculo primùm exceptos, ad Patrem ſemimortuum vos ducã, vt iuuetis. REX. Fiet Mater, nutu potentiſsimi Dei. Pater obſeruandiſsime, ſalue. Bibe de Sanitatis hoc poculo, quo curaberis. TI. Bibam Sollicite fili. Bone Deus, hauſtu hoc vnico mihi videtur animam reſtitui. REX. Bibe tu quoque Mater dilectiſsima. OCE. Nũquam ego potum bibi, qui recrearit animũ, vt iſte, meum. Iam à me decidere mœrorem omnem, atque dolorem ſentio. TI. Surgam, & filios ipſe tractare tecum ſanus iam (Deo dante) cupio. Proſperè Gnati redieritis. Amborum video capita filiorum auro coronata, corpora quidem in vnicum Regem tranſmutata miror. Ad Principem conferamus nos. Illuſtriſsime Princeps, ambo filij redierunt in vnum Regem transformati corpore, facie bus verò non immutatis, vt vides. REX. Salue Princeps Illuſtriſsime. PRIN. Potentiſsime, ac Inuictiſsime Rex, plurimũ ſalue. REX. Fratres meos, & Sorores in Reges & Reginas coronare cuperem, vt in Aula tua fiat coram populo precor. PRIN. Omnia quæ poſ

ſideo

ſideo tua ſunt. Impera quod voles, obedietur tibi meritò. Mox tabernaculum erigatur ante Palatium altum, & ſatis amplum. Tubicen, tu per uicos omnes proclama, Titanis filios redijſſe, Regem unum potẽtiſsimum, qui Fratres & Sorores coronabit, cras finita Concione. Populus omnis adeſſe poterit, ut uideat. Aſcendamus Rex tabernaculum, cõgregatus eſt populus. REX. Irate frater, qui mihi propior in maximis algoribus, æſtibus q́ue ſemper adfuiſti, primus etiam eſto, qui coronam Regiam inuictiſsimã, & ſceptrum diuitiarum plenum accipias. Poſtea Lætus, & Rudis etiam Fratres, earundẽ facultatum & potentiæ Reges eſtote. Poſtmodùm Aſsidua Vanaq́ue Sorores, & uos Reginæ ſunto Fratribus facultate, potẽtiaq́; pares. Iam nuptiæ celebrandæ ſunt. Concionator Iratum Flauæ: Lætum Candidæ: Rudemq́ue Nigrę: necnon Aſsiduæ Talcum: & Vanæ Calaminum, uxoribus maritos, & hos illis Diuino matrimonij uinculo iunge. Titanis ut progenies Demogorgonis familiæ iuncta ſit in ſobolem Regiam, hoc etiam annuente Deo perpetuò deuincta. NVM. Cor excitabo nũc Principis, ut Solliciti cauſam, atq; Faceti coram populo congregato, contra Sorbones aſſumat. Baculaurium etiam non aliàs, quã ego Magiſtrum artium, ab iſtis perfidis hominibus

minibus retraxi, huc in teſtem adducam.
PRIN. Tubicen populo ſilentiũ indica meo nomine. Dilectiſsimi viri ſubditi Ciues, quã tùm hactenus mihi curæ fuit, ac ſollicitudinis in pace conſeruandi vos, non ignoratis. At Sorbones toto conatu machinati ſunt, quantùm in ipſis fuit eam perturbare diuerſimodè. Primò quidem in filium Titanis maximum natu Sollicitum. Hunc enim falſis perſuaſionibus, vt ſtultum à Patre curarunt indui: poſtquàm alia ſua conſilia quibus ipſum trucidare ſecretò propoſuerant, aut aliàs interimere veneno, fore periculoſa viderent attentatu. Deinceps in alterum fratrem Facetum, etiam Titanis filium, famulumq; meum tunc temporis, contra quem accuſationes falſas attulerunt, falſisque teſtibus & furibus, quos ex carceribus vinctos, huc vt Veritatem fateantur erui iuſsi, probare conati ſunt. Poſtremò Iuſticiam ipſam corrumpere muneribus, opprimereque Veritatem voluerunt. Quod cùm apud Prætorem efficere nullo modo poſſent, aliud poculum illi ſimile, quod ſublatum fuerat ab iſtis furibus iuſſerunt fieri. Hoc ſub ſcamno poſitum caſu decidiſſe finxerunt cautelosè coram Ciuibus, quo ſuam ſuorumque teſtium falſitatem palliare valerent. Quæ iam obiter audiſtis, per Scribam legentem audietis latiùs,

ac

ac de verbo ad verbum iſtorum hominum hiſtoriam. BACVL. Aſcendam & ego in teſtem, vnà cum Magiſtro artium. Pœnitens à tam benigno Principe miſericordiam facilè conſequar, aliàs cum iſtis nebulonibus puniar. Valeant igitur, ad probos ibo dum tempus eſt. POPVLVS OMNIS. Separa Princeps Illuſtriſsime, Lupos ab Ouibus. Tollantur qui ſeducunt nos, & ab his repurgetur ſordibus hæc tua Ciuitas. Mittantur ad Tyberim turbulentiſsimum fluuium, vt ibidem ſorbendi Sapientiam ſuam addiſcant meliùs. PRINC. Iudicium hoc Regi Potentiſsimo relinquendum eſt, cui fecerunt iniuriam. REX. Quod ad me attinet, eis remitto libenter omne delictum, nec eorum cupio mortem, ſed potiùs, vt expectentur donec ad ouile redeant, prout eorum ſocij. PRIN. Mittantur igitur in exilium donec reſipuerint. PRE. At ego fures ex æquo tractaturus ſum.

Huius Allegoriæ concluſio.

SIc ſolet euenire his, qui Veritatis viam euitantes, per ſemitas ambulant erroneas, ſuoſq; proximos ducũt, ac eis moliuntur inſidias. Vt ſcilicet quicquid contra Veritatem machinati ſint, id eorum caput meritò

(ſic diſponente Deo) decidat. Nec aliquid excogitare ualeant, quòd illis in ruinam poſitum non ſit. Ac dum euitare Caribdin cupiant, in Syllam incidant. Non aliàs, & qui Metaphyſicam Hermetis Triſmegiſti, tot & tam uarijs erroneisque ſectantur modis, ignorantiam ſuam neceſſariò deplorant. Nã unica eſt uia, quæ ducit ad Balneum uerè Philoſophicum, in quo fouetur ouum illud Metaphyſicum, pauciſsimis Metaphyſicis, aut nullis noſtri temporis cognitum.

FINIS.

DE

DE PRAEPARA=

TIONIBVS METAL-*licis.*

PRAEFATIO.

DE Vegetabilium & nonnullorum Animalium deſtillationibus, antea dicere viſum eſt, ex optimorum doctiſsimorumq; Virorum opinionibus, ne videre aliena ſpernere velle. Quicunq; peritus fuerit artis, facilè percipiet quid ego ad eam attulerim: non eſt meum inſtitutum, vt ex ea mihi laudem parare cupiam. Imò ſcio maximam imminere his inimicitiam, qui de bonis artibus præter vulgatam conſuetudinẽ (licet veriſsima) loquuntur. Non propterea ſubticenda ſunt, quæ Reipublicæ literariæ poſſunt aliquam vtilitatem adferre. Solent nonnulli poſt mortem ſua priùs ædita fore velle, quod minimè probandum eſt, ob multa quæ præter æquitatem illis contingere videntur indies. Aut ab eis, ad quorum peruenium manus in varia fragmenta diſtrahuntur, aut fœdis conſpurcantur nebulis, uel omnium quod peſsimum eſſe comperimus,

ea quæ docent artem ex practica retinentur ab eis, qui quæstum inde sibi solis fore maximum cupiunt: editis tantùm illis quæ per Theoriam, tanquam per nebulas eminùs aliquid incerti videntur demonstrare. Quapropter æquum est eos, qui prodesse cupiunt omnibus labore suo, dum adhuc supersunt in lucem ea dare, quibus prouectos studiosorum conatus fore cupiunt. Sic fiet, vt contra Veritatis inimicos, sua quę vera sunt, optimo iure defendere valeant. Quandoquidem inuidi solent post mortem probis maledicere, necnon eorum scripta carpere, quod impium est. Si quid igitur in hac arte cuiquam scripsisse videar, quod à Veritate sit alienum, precor, vt quum respondere datũ est à Deo, non vbi dormiero, faciat impetũ. Rationi libenter, & non iniuriæ, nisi coactè cedit, ac pro tempore Veritas. Hæc à me dicta sint, quod Labyrinthum vegetabilem antea posuerim, & nunc mineralem in medium adferre cupiam. Sunt igitur mineralia, solidiorum naturæ partium proles. Et quamuis ex aqua plurima nonnulla generentur, nihilominus terra, quę minima pars eorum est prædominatur, ingentique suavirtute solidatiua subtilitatis copiam aquę maximam vincit, ac solidam reddit. Primi Parentes mineralium

neralium inferiores: Aqua Mater, & Terra Pater exiſtunt: veluti vegetabilium aër & aqua, necnon animantium ignis & aër, ſeminaria ſunt potiſsima pars generationis. Licet elementa cætera concurrant, loquimur de his quæ magis ad eorum generationem faciunt. Ignis enim & aër magis ad ſenſitiuã accedunt animam, aër & aqua minùs: at magis ad vegetatiuam, quæ nihilominus in ſenſitiua reperitur, vt alteræ ſocia facultas. Non poſſunt ambo genera quæ dicta ſunt, aëre libero ſine, qui particeps ignis ætherei pariter liberi ſit, generari. Minerale verò, cõcluſum aërem & ignem requirit, aliàs non generatur. Ex terra minerali, quæ ſulphuris initium eſt, & aqua minerali, quæ primùm argentum viuum eſt minerale, generatur vitriolum, quod Genealogiæ mineralis primum gradum obtinet. Ex eo, per calorem ignis ſubterranei reſoluto, generatur aër mineralis, ſolaris atque lunaris, qui ſi cum igne minerali concurrat, fit generatio mineralis, talis qualis partium puritas vel impuritas fuerit. Non ſemper inde metallum oritur, ſed inter extrema hæc multa naſcuntur media mineralia, quę varia ſunt: vt alumina, ſalia propter ſulphuris defectum, ad naturã non ita propinqua metallicã, ac Marchaſitę,

quæ

quæ præ nimio ſulphure non fixo conſtantiam in igne pauciorem habét, quàm ſolida metalla, quibus etiam fragiliores exiſtunt. Verùm, quia rei Medicæ per quàm vtiles, nõ ſecus ac metalla ſunt, de Pręparationibus horum ſcribere propoſui, clariùs fortè quàm antea videri licuit, aut legi. Cùm igitur ex his quæ dicta ſunt, vires aut virtutes non meliori via poſsint, quàm per calcinationem elici. De hac etiam primo tractandum erit, à Vitrioloque ſicut priùs inchoandum.

De Calcinatione Chymica.

CAPVT.

CAlcinatio dicitur, corporis metallici, vel mineralis in calcem ignis calore factam reductio. Propriè corruptio metallica vel mineralis dici poteſt. Nam vt ſuprà diximus, à metallis & medijs mineralibus, occulta virtus haberi nõ poteſt, niſi per occultationem ſui manifeſti, ſub occulto iam per calcinationem manifeſtato. Poſtquam humidum aqueum igne ſeparatum eſt ab humido aëreo, quod ignis eſt particeps: iſtud à ſuo terreo corpore ſeparatur, & non priùs. A Vitriolo calcinationem igitur incipiamus mineralium.

De

De Calcinatione Vitrioli.

MElior huius nulla calcinatio fieri poteſt, quàm ſi ponatur in Cucurbitam vitream, aut fictilem, & vitreatam, galeaque vitrea roſtrata, Mercurialis humor totus recipiatur ſubiecto vaſe, qui ad rem Medicam, & maximè ad Epilepſiam in Spiritum ſuum redactus laudatur. Poſtmodùm eximatur à Cucurbita caput mortuum, & in pila metallica tundatur in puluerem. Hic in ollam fictilem poſitus, ſuper prunas agitetur ſpatula ferrea, donec rubificetur. Hanc operationem aliqui rubificationem appellant Vitrioli. Verùm ego huius veram calcinationē eſſe dico, & ab ea calce oleum & Sal eximi poſſe, quod ſupra docui. Sunt qui ſine liquoris retentione per exhalationem illud exſiccant, pulueratumque torrent latiùs. Alij crudum in olla liqueſcens, & propè ſiccationē agitant illud, quouſque redactum ſit in puluerem. Primum ego modum expertus optimum laudo. Poterit nihilominùs quicunq; volet alios aſſumere, ſi meliores illi videbuntur.

De

De Calcinatione Salis marini, uel fossilis.

SAl quo in cibarijs vtimur, aut ex marinis aquis, aut è puteis sub terra scaturientibus coquitur, esse videtur Alchali naturæ primùm, & aquea terra, vel Sulphur aqueũ potiùs. Hoc inter alias species magis notum est, quò sit, vt ab aliquibus commune dictũ sit. Verùm per Sal cõmune chymicos aliud intelligere puto, quod à diuersis eruitur eodem artificio. Quicquid sit hoc cibarium Sal nominabimus, quod mensæ primùm appo nitur. Idipsum in ollis terreis non vitreatis positum, vel in Aurifabrorum vasis fusorijs, quæ tigilla vulgariter appellantur, prunis torrendum est. Aliqui volunt vt in eis ad ignitionem vsque maneant citra liquefactio nem. Ego tamen satis iudicare non possum cur istam prohibeant, cùm ad eam in præparatione Salis veniendũ esse moneant. Quapropter vt à iudicijs his hæc opinio sit iudicata viris, ad præparationem hanc transire minimè tedebit. Sic aiunt: Sal esse præparandũ. Postquam ignitum fuerit, ac vt ferrum candu erit in igne citra tamen liquefactionem (à qua maximè cauendum esse dicunt, aliàs destrueretur præparationis opus) eximendum

dum erit, ac terẽdum, poſtea ſoluendum in aqua tepida, necnon per filtrum deſtillandum, poſt filtrationem euaporatione ſiccandum, & ſiccatum rurſus, vt priùs calcinandum. Proceſſus hic tamdiu continuandus eſt, quoad ſuper laminam ignitam poſitum, vt cera liquefiat. Vide iam ſcopum huius præparationis eſſe liquefactionem, à qua tamen cauẽdum eſſe dicunt, prẽter naturalem ordinem. Quandoquidem quò ſæpiùs quid liquefit, obnoxium liquationi magis redditur. Quapropter liquefaciẽdum Sal fore iudico, dum ad liquationem præparatur.

De Calcinatione Salis nitri, quod acutorum liquorum Alchali fore dico.

PRæter omnia Salia, Sal nitri ſulphureũ eſſe magis, experientia docet: nam expoſitum igni flagrat, vt illud, ſed cum flatu maximo nullo fœtore tamen, aut ſaltem exiguo. Sed mirum eſt in rebus frigidiſſimis à Philoſophis iudicatis, igneas inciſſe vires & ſulphureas: vt in Camphora quæ ſuccenſa flagrat etiam in aqua. Pauci reperiuntur qui certam huius rei cauſam reddere potuerunt. Ego uerò Chymicis operationibus edoctus, aqueum Sulphur eſſe iudico, hoc

eſt

est aqueam naturam quod induit. Hinc fit vt sulphur terreum illi iunctum, & simul accensum, tantas vires habeant, ut in bombardico puluere conspicimus. Nam ut aqua nõ patitur ignem, neque hic illam, sic etiam aqueum sulphur igneum, quod in terra generatum est, admittere non potest, & ob diuersam eorum naturam unus ignis alteri non facilè permiscetur. Quamquam fieri potest, ut industria Chymica simul, uniuntur tamẽ hoc ipsum absque medio uel artificio maximo non contingit. Huius igitur calcinatio propter flagrationẽ est satis difficilis, at possibilis hoc modo. In retortum uas cõditum, & super prunas positum igne lentissimo liquescat, ne rimam uas aut fissuram contrahat, aliàs ubi minimum aërem admiserit, accensionem eius retinere nemo facilè ualebit. At postquam totus liquor in recipiens uas descenderit, placentam in uasis retorti fundo repertam exime, tere, torreque latiùs in olla terrea semper agitando quoad voles, & candidissimam calcem habeas.

Reliquorum Salium calcinatio non est à prædictis absimilis, præterquàm Salis Armoniaci, quod calcinari per se facilè nõ potest, ob facilem eius ascensum, quo sublimatur, nec benè teneri potest.

Salium Alchalium tria sunt genera generalissima,

ralisſima, nempe de Vegetabilibus animalibus, & mineralibus tracta, vt ſupra de Ioue docui, ſimul & extractionis eius artificio. Hæc licet ab aliquibus artificiata fore iudicentur, non ſunt niſi naturalia per Chymicā artem à ſuis corporibus ſeparata. Non differunt ab eis quæ vulgo naturalia dicuntur & foſsilia, prout Sal gemmæ, quod à natura ſeparatum eſt à ſuo corpore Saturnio, per artificium naturæ, ſimile huic quod exercent Chymiſtę. Comburit enim ſua corpora ſubterranea natura, de quorum cinerib. per ablutionem Salia ſua trahit, & per concoctionem coagulat: hoc ipſum imitatur Artifex, qui conſiderans in cauernis terræ ſtillantes aliquos liquores ſalſis, per terram & lapides in Salis coaleſcere glebas eiſdem adhærentes lapidibus, hunc Salis eliciendi modum à quibuſuis primùm excogitauit.

De metallorum Calcinatione, Saturni primùm & Iouis.

SAturnus atq; Iupiter, quod facilimæ liquationis exiſtāt, pauco labore poſſunt & per ſe calcinari, ſine cuiuſuis alterius mixtura corporis, dū liquata fuerint in olla terrea, ſemper agitata ſpatula ferrea, donec in calcem tranſeant. Hæc eſt omnium optima

A calcina-

calcinatio, quę per aduſtionē proprij Sulphuris & interni fit. Habēt enim imperfecta metalla quæq; ſuum Sulphur adurens, quo ſuū argentum viuum in calcem redigitur. Vera calcinatio metallorum talis foredebet, vt nō ampliùs in metallum redire valeant, hoc eſt malleatione ſua prorſus priuata ſint, oportet. Hoc ita poterit quis experiri, portiunculam eius calcis, igni fortiſsimo liquandā exponendo, ſiquidem in vitrum redigatur, optimè calcinatum fuerit, ſin minus, at in corpus redeat metallicum, aſſandū erit ampliùs donec vitrū appareat. Non ſolùm in iſtis duobus, verùm etiam in omnibus alijs calcinatis metallis id fieri poterit. Hoc artificio vitra fiunt colorum diuerſorū, vt ſunt illa quæ Smalta vulgariter appellare ſolēt Aurifabri, quibus etiam vtuntur in depingēdis aureis armillis. Quoduis enim proprium colorem occultum in ſe metallum habet, quem opere, quod calcium reductionem vocant, patefacit. In occulto ſuo ruffus eſt Saturnus, albus Iupiter. Rubet Mars colore fuſco. Viret Venus, at Lunæ cœleſtis color ineſt. Mercurio varius, & Soli ſanguineus. Ex his optimè præparatis, lapides arte Chymica fieri ſolent, pretioſis & naturalibus perſimiles, qui viribus etiam à nonnulis minimè fore minores prædicantur. Nam qui natura fabri-

cati

cati sunt, ex vaporibus mineralibus constãt, lapideo Sulphure congelatis: quos quidem si cõtigisset in Sulphur metallicum incurrere, fuissent in metalla congelati. Habet siquidem Sulphur in se formam lapidis vel metalli, iuxta sui tamen informationem, id est, cœlestem influxum, quam in materiam, scilicet vapores minerales infundit. Manifestũ est etiam vapores, dum adhuc resoluti sunt, & priusquàm ad eos accedat Sulphur, cœlestes habere vires & influxus varios, vt Sulphur, imò potentiores, vt probatur ex Sole cæterisque Stellis, quæ soluta sunt in cœlo metalla siue lapides, & in terris correspondẽtia sibi lapidea vel metallina habent corpora, viribus illis ob congelationem inferiora. Quæ tamen si debitè resoluantur, & à suis compedibus liberentur, ad operationẽ cœlestium corporum accedunt magis, pro sui quantitate, non multò minùs efficacẽ. Quapropter non est quod quispiam credat, materiam hanc vaporosam lapideam siue metallicam esse viribus aut forma sua destitutam, quia materiã vocamus eã, hoc ratione dicimus actus cõgelationis, quẽ in eam Sulphur imprimit, & quo dictã formam aëreã in lapideã immutat, cœlesti nõ ablata, sed occultata sub corporea cohibitaq;. Sic etiã de Sulphure lapidũ pretiosorũ est cogitandũ, nõ crassũ

hoc vel denſum, at purum, clarum, diaphanum & vaporoſum eſſe, pariter & metallicũ, ſed illo minùs iſtud. Habet igitur materia de qua loquimur, formam in ſe reſolutam, & Sulphur in ſe ſuam fixatiuam: at quia virtus fixatiua potentia dominioque ſolutiuam ſuperat, hoc diſponente natura, propter generationem, coguntur ambo vapores amplexu mutuo, corpus in vnum conuenire lapideũ, aut metallicum. Eſt autem vapor ille priuſquam congeletur ambiguus, & poſt coniunctionem vnius vel alterius Sulphuris virib. non imminutus, imò potiùs auctus. Nam habet Sulphur alterutrum etiam varios inflexus à cœleſtibus. Quapropter ſiue lapides pretioſi ſuos in vapores arte Chymica ſoluãtur, ſiue metalla, ſimiles pro parte Mercurij futuri ſunt, & pro parte ſui Martis non alia ratione differentes, quàm lapis & metallum. Arte noſtra verum vt eſſe doceatur oculariter non verbis tantùm, propoſui magiſteriũ conficiendi lapides pretioſos ex metallis, Vulcanico primùm artificio, poſtmodùm Philoſophico magis addere: præſertim quod in eo magna pars Medicinæ à mineralibus extrahendæ lateat: non priùs tamen quàm cæterorum Planetarum terreſtrium calcinationem proſequutus ſim.

De

De Calcinatione Martis & Veneris.

LImaturam horum duorum corporum accipies minutiſsimam, & vtramq; ſeor ſum cum duplo ſui Salis communis in tigillum aut ollam fortem inter prunas poſitam vrgebis igne vehemẽtiſsimo, vt Sal in liquatione continua ſtet per horas duodecim. Poſtea ſuper lapidem effundes, frigefactum cõteres minutim, & puluerem hunc Salis aqua tepida ſolutum per filtrum, vel aliàs colare permittes. Quod in fundo reſederit in tigillum poſitum per ſe rurſum aſſabis, vt etiam per horas duodecim candeat, vt ferrum inter incudem & malleum cudendum ab igne tractum. Deinceps, vt ſuprà dictum eſt, examinetur, an vitrificatoriã liquefactionem attigerint, aliàs iteretur quod priùs donec eo perueniant pulueres, vt ampliùs in corpus metallicum redire nequeant: quo percepto, ſeruentur ad vſum.

De Calcinatione Solis & Lunæ.

ISta corpora calcinatu ſunt omniũ difficillima, quare modus excogitandus eſt quo meliùs corrumpi queant, ac à ſua remoueri malleatione, qui talis eſt. Accipe Mercurij vi ui ſex partes, laminatorum aut limatorum

Solis aut Lunæ partem vnam, quæ Mercurio in tigillo & inter prunas bullienti mox imponantur, ſtyloque ferreo miſceantur, demùm in aquam frigidam inijciantur. Paſtam hanc in vaſe terreo roſtrum prope fundum habente, cooperculumque luto ſtrictam poſitam vrgebis igne lento primùm, auctoque poſtea. Totus Mercurius per canalem vaſis in aqua frigida merſum, à prædictorum metallorum altero ſeparatus & viuus deſcẽdet, in fundo vaſis terrei relicta placenta metallica. Hanc in puluerem conteres, & in duplo ſui Salis communis aſſetur, in eiusq; liquatione per ſpatium horarũ duodecim teneatur vt ſuprà de alijs dictum eſt. Exẽpriq; puluueris huius portiuncula probetur, ſi liquefacta vitrificatoriam dabit, ſin minùs, at in metallum redierit, prior ab initio proceſſus iterandus eſt toties, donec vitrificationẽ experiaris: adepta qua, ſeruandi ſunt puluueres, vt aliorum metallorum, ac ſeorſim quilibet. Sic habebis calcinata ſex metalla, ſcilicet, Plumbum, Stannum, Ferrum, Cuprum, Aurum & Argentum.

De Sublimatione.

CAPVT.

SVblimatio dicitur Spiritus à ſuo corpore per ignem eleuatio. Quæ dupliciter fit

fit,ſcilicet in liquorem,aut in denſum quid. Liquidam ſublimationem expoſui, quum de Vegetabilium deſtillationibus egi,necnō animalium. Sublimatio verò concreta, pertinet ad metalla mineraliaq;. Non poſſunt enim iſta faciliùs in ſuos reſolui liquores,quá calcinationibus & ſublimationibus medijs, quibus etiam præcedentibus,alijsq; ſequentibus operationibus ad liquidam ſublimationem perducuntur. Et quia ſuperiùs eam abundè ſatis declaraui,ne videar actum iterū agere, quò papyrum impleam,eo lectorem eſſe remittendum iudico,tam pro liquorib. metallorum, quàm ſublimatione Mercurij, ſuperiùs etiam deſcripta.

De metallorum calcinatorum Sublimatione.

CViuslibet metalli calcem communē cum Salis armoniaci, vel nitri purgati ſeparatim aut ſimul tāta quantitate, quantā ſat eſſe videbitur in mortario teres, & cōmiſta ſimul omnia pones in retortum vas, quod orificium ampli ſatis recipientis intret,vt quæuis humiditas eo deſcendat igne lento ſurſum acta. Poſtmodum vbi ſtillare ceſſauerit, augeatur ignis & paulatim, quouſq; in collo retorti vaſis (amplo ſatis,ne ſublimatis obſtruatur) Salia videris aſcendiſſe. Quo percepto, continuetur ignis in

eodem ſtatu ſex horis. Demùm ceſſa, frige-factaque fornace, retortum exime, frange cum induſtria, quod ſublimatum fuerit exime & ſerua. Caput mortuum iterum tere, cumque recenti Sale terendo, miſce rurſus vt priùs. Hoc toties fac donec tibi videbitur calcis bonam partem aſcendiſſe. Verùm ſi voles experiri quantùm aſcenderit, caput mortuum in puluerem tritum, aqua tepida ſolue, quod ſolutum fuerit in aliud vas eijce, recentem priori ſimilem aquam ad puluerẽ affunde, ſæpiùs id fiat, quouſq; dulcis aqua ſit. Poſtea puluerem hunc ſiccatum igne põdera, ſi ponderaſti priùs, cognoſcere poteris à reſiduo quid & quantum ex eo ſublimatum ſit. Hoc ſi iuxta ſublimatorũ vſum Philoſophicum ſolueris, mira percipies. Salia reſoluta poteris per euaporationem aquæ rurſus in Sal reducere.

De Tranſmutatione metallorum in pretioſos lapides.

CAPVT.

CAlces omnes, cùm Vegetabilium, tùm animalium & mineralium, ſi vehemẽti comburantur igne, & nedum illæ, verùmetiam corpora quæuis, in vitrum, nemo qui Vulcanicas exercuerit artes, tranſire dubitat, eò ma-

eò magis minusque diaphanum ac nobile, quò materia præstantior aut vilior fuerit. Cùm igitur omnium quæ natura producit corporum, præstantissima sint mineralia, præstantissimum etiam ex eis vitrum arte fieri potest, pretiosis lapidibus non absimile. Nam & isti vitrum naturale sunt, à natura fabricatum igne subterraneo, sed illi, supra terram fabricati hominum industria naturale magisterium imitante, cuius modum ponere minimè pigebit. Certum est Philosophis, pretiosos lapides in terris, à cœlestibus Planetis & stellis naturaliter, & ad sui similitudinem esse fabricatos. Quapropter à Planetis artificialibus exordiar, per ignem externum fabrafactis. Quum Saturnium, Iouialem, Martialem, Solarem, Venereum, aut Lunarem lapidem fabricare volueris. Calcem vnius horum accipe, quam in tigillo fortissimo positam, & in fornace vitriariorum, vel potiùs ea simili, non tamen æquè magna, tamdiu feruentissimo combures igne continuo, donec in vitrum conuertatur. Quo facto, canalem aut fistulam habeas ferream, quam intinges materiæ, modoque vitriariorum sufflando bullas, poteris facilè cognoscere, quum lucidum atomisque repurgatum prorsus fuerit. Postmodùm eximere materiam ferro per oblonga frusta formam

digiti parui referentia, vel aliàs rotunda pro ut libuerit, quæ secta, poliri pretiosorum, & naturalium instar poterunt. Hac arte Planetas artificiales habebis à naturali primaque sui materia tractos, & colorum diuersorum. Si tamen compositos velis, vnius, partem ad alterius assumito portionem, & pro tuo arbitrio iudicioque temperato colores.

Alius pretiosorum lapidum è metallis fabricandi modus, & magis ad naturale magisterium accedens.

CAPVT.

QVidam Philosophi naturales, aliud quàm antea posui, describunt artificium, interno tantùm igne, & æthereo complendum. At istud obscuris verbis, imò deprauatis potiùs, vt vix eorum, qui sunt artis peritissimi, possunt intelligere quid sibi velint, intricarunt. Ego verò quod potero, clarioribus elucidare conabor, & diffusa quædam ad compendium reducere. Fac Mercurialem aquam, id est Mercurium in quintã essentiam vegetabilem resolue. Hanc in duas partes diuide, quarũ vna sit quarta pars eius, altera verò tres quartæ. E tribus quartis vnã accipe cum dimidia, necnon primæ quartæ mediam partem, quæ simul totius mediam

partem

partem efficiunt, & ita manebunt tres octauæ ſub terram ſepeliẽdæ, & vna octaua pars aëri cum cęteris, prout audietur, exponẽda. In alterius mediæ partis aliquota parte, ſolue Lunæ partem aliquam, & poſtquam ſoluta fuerit, ſolutionem iſtã deſtilla per filtrũ. Quod ſolutum eſt, ſerua. Si quid in manica filtrea, fecum remanſerit, abijce tanquã inutile. Reliquos Planetas omnes in aquæ Mercurialis reſidui parte conueniente ſolues, & cum eis, vt priùs de Luna dictum eſt, facies. Quamlibet ſolutionem filtratam per ſe deſtillabis iterum in balneo Mariæ vaporoſo, donec tota humiditas aſcenderit, in recepta culumq; ſe receperit. Poſtmodùm huius liquoris tertiam partem fecibus ſuis, quas in Cucurbita reliquit affundes, & reſolutũ hoc ſeruabis, & per ſe. Deinceps ſoluti duas tertias illas in phyalam longi colli pones, & tertiam cum fecibus in aliam, ſigillatis ambabus Hermetis ſigillo. Tandem phyalam quę feces continet, in terram ſub Dio ſepelies totam præter extremitatem colli, quæ parùm emineat, aliamque duas tertias aquæ claræ continentem in aërem pones, & in altum, vt aëre tangatur, ne tamen ab aliquo lapide iactu caſuuè frangi queat. Idipſum de cæteris aliorum Planetarum ſolutionibus facies. Phyalis duabus etiam

includes

includes Mercurialem aquam reſeruatam, & ſigillabis vt priùs: in vna quæ ad aërem eſt ponenda, ſit octaua dicta, & in altera, quæ ſe pelienda eſt in terra, ſint octauæ predictæ ſeptem. Hoc negotio, ſolutionem Philoſophicam abſoluiſti. Iam ad congelationem veniendum eſt.

De Congelatione pretioſorum lapidum arte Chymiſtica fabrefactorum.

ANno reuoluto, iubeas à vitrorum Artificibus duplex vas tibi confici, quod ſpheræ formam diuiſæ per medium habeat, ſuperiusque vas inferiori ſic aptatum ſit, vt ab eo deponi reponique valeat, quoties opus fuerit. Quo peracto, confice tibi formulas cereas vacuas, vaſorum aut cimbarum inſtar, quæ liquore poſsint impleri, natareque ſuper aquam. Nonnulli has in formam, qua ſcindi ſolent pretioſi lapides, conficiunt in hunc modum. Accipiunt ferrum ab vna ſuarum extremitatum, ſciſſum atque politum, vt lapidem fore cupiunt: hoc in oleum immergunt, poſtmodum in ceram liquefactã, & poſtea in aquam frigidam. Vbi iam inuolutum eſt cera, circumquaque ſcindunt eam vt à formante ferro liberetur. Hac via ſciſſorum inſtar ſibi lapides parant. At ego non credo

credo fieri posse, vt exactè res fiat. Quapropter in rotundã formã aut semirotundã, quocunque modo fieri suaderem, & postea sicin di prout naturales. Erue demùm è terra phyalas & alias ab aëre depone. Deinde spherici tui vasis inferiorem partem aqua Mercuriali terrea, quæ medietatem eius impleat, imbues, & super eam formas natare facias. Postmodum si Mercurialem, Solarem, Lunarem, Saturnium, Iouialem, Venereum, aut Martialem volueris lapidem, formas tuas paulò minùs imple cereas, quorumuis dictorum Planetarum cœlo, hoc est, aërea sua aqua, deinceps terra sua, idest aqua sua terrea: non ad summum tamen implebis, ne fortasis effluant aquæ. Tandem superiori sua parte sphericũ vas teges, & ita clausum aliquot horas maneat, quousq; videris aquas in formis aliquantulum densatas: quo percepto vas aperies, & formas inuertes, vt pasta fixatiuam aquam tangat. Relinque sic in vmbra donec durescat in lapidem. Sed iste processus ad metallorum facere magis transmutationem, quàm ad Medicinam videtur, ob terram cum cœlo simul infusionem. Quò fit, vt lapides hac ratione facti sint obscuriores illis qui hoc modo fabricantur.

Cuiuslibet metalli pars, vel aqua terrea, ponatur in vasis inferiorem partem, & per

se,

formis quoque ſupernatantibus & vacuis, claudatur ſuperiori parte, & clauſum vas per quartam horæ partem relinquatur, vt formę vapore quodam inuiſibili fixatiuoq; repleatur. Poſtmodùm aperto vaſe, formę cœlo, ſeu aqua impleantur aërea tãtùm, & rurſus clauſo procedatur, vt ſuprà.

Poterũt etiam omnes aquæ terreæ in vas inferiùs miſtæ ſimul effundi, formæq; cœlicis omnibus aquis miſtis, etiam impleri, procedendo ſicut priùs, & habebitur lapis vnicus Planetas inſe complectens omnes.

Aliqui duorum aut trium Planetarum vapores antea dictos, iuxta proportionem ex arbitrio depromptam ſimul commiſcent, vt vulgariter denominatos lapides pretioſos fabricent, coloribusque ſuis adornent, hoc modo videlicet.

Carbunculus.

Fit ex cœlo Solis, in terra eiuſdem.

Adamas.

Fit ex Lunæ cœlo, & eius terra.

Saphyrus.

Fit ex Lunæ cœlo, & eiuſdem terra, cum Iouis terra mixta.

Smaragdus.

Fit ex cœlo Veneris, & ex terra Lunæ.

Topaſius.

Fit ex cœlo Martis, & ex terra Solis.

Hyacin-

Hyacinthus.

Fit ex cœlo Martis, & eius terra mixta cum terra Solis.

Elitropia.

Fit ex cœlo Veneris cum cœlo Martis, & ex terra Lunæ cum terra Martis.

Alamandina.

Fit ex cœlo Martis, & eius terra.

Pallax.

Fit ex Lunæ cœlo, & ex terra eiusdem cum æquali pondere terræ Solis mixta.

Berillus.

Fit ex Lunæ Iouisque cœlis æqualibus, & ex terra Lunæ.

Vnio.

Fit ex vna parte cœli Iouis, cum quinq; partibus cœli Lunæ, & ex terra Iouis.

Lapis Solaris.

Fit ex Solari cœlo, & Solari terra.

Lapis Lunaris.

Fit ex Lunæ cœlo, & eius terra.

Lapis Iouialis.

Fit ex cœlo Iouis, & eius terra.

Lapis Venereus.

Fit ex Venereo cœlo, & eius terra.

Lapis Martialis.

Fit ex cœlo Martis, & eius terra.

Lapis Saturnius.

Fit ex Saturni cœlo, & eius terra.

Lapis Mercurialis.

Fit ex Mercurij cœlo, & eius terra.

Lapis Mixtus.

Fit ex omnium cœlorum partibus, in omnium terrarum pariter æqualibus.

Multi possunt alij lapides ad imitationẽ fieri naturalium hac arte, quos recensere lõgum foret. Verùm vnusquisque iuxta suam experientiam in coloribus eorum, quoscunque volet fabricare, necnon si Mathematicus fuerit, suis breui temporis (vt etiam requiritur) spatio characteribus insculpere: priùs quàm aspectus repentè nimis transeant, optimè poterit.

Quid aliud restat, præterquàm lapidum & metallorum omnium vires diligenter inuestigare particulares, ac ad Medicinam applicare. Sapientes olim insculptis lapidibus tempore constellationum atq; metallis collo tantùm appensis, aut gestatis, plerosque morbos curauerunt absque superstitione. Vnde quæso virtus hæc, nisi partim à materia, partim à characteribus, & potissimùm à constellationibus mouetur ad actum? Nil mirum sanè considerantibus mundi superioris ad inferius, & istius ad illud maximam confæderationem. Siquidem hîc inferiùs apud nos moueri nihil potest arte, quod superiùs itidem non commoueatur. Non aliàs

quàm

quàm si membrum aliquod in humano corpore læsum fuerit Vxori, correspondens in eius Viri corpore, si nõ actu, potentia saltem & quadam naturali compassione, dolorem percipit ob naturalis amorem, atque Diuini coniugij. Quanto magis in ipsamet natura hoc ipsum fieri necessum est, quæ coniugio Diuino, constat ex mundo superiore & inferiore, sic à Deo quidem ordinatis, vt vnum eorum nil contineat, quin sibi correspondẽs habeat alterum. Cùm igitur minor mundus Homo videlicet corpore, vitaliq; Spiritu sit ad magni similitudinem creatus, rationali quidem ad imaginem Dei, quicquid in maiori fuerit, in minore fore constat. Sicuti nũquam in cœlo superiori cessant motus, hominis etiam Spiritus vitalis quiescente corpore vel dormiente, motus exercere suos nõ cessat, imò potiùs operatur, quàm vigilante. Pariter si membrum aliquod in corpore tangitur hominis, mox ad Spiritum huiusmodi tactus peruenit, vt suprà de Cœlo dictum est. Simile coniugium ergo videmus inter Spiritũ & corpus hominis fore, quale diximus inter cœlum & terram. Iterùm qualiscunq; fit in cœlo motus, in hominem influitur, aut in elementa ad vsum eius. Quapropter mirandum non est, si fieri valeant arte lapides, pretiosis non absimiles, quibus morbi curari

rari possunt hominum, vbi sub aspectibus (vt aiunt)fœlicibus fabricati sunt. Quantò magis,quum resoluti fuerint in suos liquores,& intra corpus adhibiti remedia potentiora futura sunt.

Hactenus de solutionibus & congelationibus metallorum egimus, quæ licet Chymistarum potissimæ sint operationes: aliæ tamen intermediæ sunt,ac primæ, quarum etiam facere mentionem oportet.

De corporali Philosopherum coniugio, quod Chaos nominatur.

CAPVT.

ANtea dictum est, cœlum atque terram diuino quodam fore iuncta matrimonio,quo cuncta, quæ creata sunt à Deo propagatione durarent. Verùm accedente corruptione, rerum omnium interitus ortum cœpit, qui per corruptionis represionem, ad constitutum à Deo terminũ, etiam retardatur. Considerandum est igitur, qua ratione possit omnis euitari, necnon amoueri corruptio. Non aliàs meliùs quàm per Vnionem coniugij naturalis in homine roboratam, quæ quidem fit artificialiter & metaphysicè. Coniunges igitur cœlum & terram, id est,corpora duo præstantissima, res naturales

turales inter iuncta simul, matrimoniũ hoc naturaliter consummare curabis, prout inferiùs audies, & inde fiet vnum, quo reducetur omnis binarius ad vnitatis puram simplicitatem. Superiùs dictum est, quid cœlum sit Philosophicum, vtpote quinta rerum omnium essentia. Est ergo triplex: Vegetabile scilicet, Animale & Minerale. Terra verò Philosophica hoc loco, est Philosophorum Sulphur, fixum & incombustibile, cœli prædicti formam in se continens, & in illud agẽs, tanquã in materiã actus eius receptiuã. Cõposito nanq; Philosophorũ Chaos, duob. modis in illud operari docent. Primò quidẽ opere minore (quod vocant) altero maiore. Minore tamẽ, suũ Chaos nõ conficiunt, vt in maiore, sed vtuntur Lunaria terraq;, de qua suprà loquuti sumus: istam corpus vocant, illam cœli sui liquorem. Hoc opus varijs docent operationibus absoluere: videlicet, calcinatione, dissolutione, euacuatione & multiplicatione: quibus Spiritũ suum extrahunt, argentum Viuum exuberatum, Sulphur naturæ, tinctura & oleum. Hoc postremò, per inceratione, super ea quæ sublimarũt, suum lapidem fabricari dicunt. Et quamuis de calcinatione metallorum, abũdè suprà dictum sit, nihilominùs, iam de hac in opere minori necessaria dicendum erit.

De Calcinatione metallorum ad opus minus.

ACcipe metalla ſicuti ſuperiùs docuimus calcinata, vel in limaturam fracta crudaque. Hæc in Lunariæ ſuccum inijcias, & reſoluta, per deſtillationem in balneo Mariæ, vel in cineribus, abſtrahe totum liquorem, inuenies in fundo puluerem ſubtiliſſimum.

De diſſolutione huius operis.

PRædictos pulueres metallorum, vt ſuprà calcinatorum volunt in ampullam, aut phyalam longi colli poni, demùm eis de ſucco Lunarię tantùm affundi, vt ſupernatet quatuor aut tribus digitis. Obſtructum vas in cineribus vno die naturali poſitum bulliat, & poſtin equino fimo calido ſimilibus diebus duobus digeratur, vt ſpiſſum à ſubtili ſuo ſeparetur. Poſtea reſerato vaſe, clara co letur aqua leuiter, ne turbetur fecibus, in Cu curbitam coopertam. Et alia ſuper feces infundatur Lunaria, coopertumq; vas rurſum in cineribus ad bulliendum, vt priùs ponatur, & in fimo poſtmodum ad digerendum. Proceſſum hunc toties iterabis, donec à ſuis Spiritibus corpus omnino ſeparatum fuerit: hoc ipſum experiri quis poterit, ſi puluerem

rem dictum, aut partem eius in Sole ſiccatã poſuerit ſuper laminam ignitam: vbi fumũ dederit, iterandus eſt proceſſus, donec fumi nihil prorſus emittat. Si defecerit Lunaria, claras aquas in balneo deſtilla, ſic, vt eius liquoris tertia pars maneat: aqua deſtillata hac vtere, loco Lunariæ ſuper corpus. In iſta ſolutione, vel cum ea continetur euacuatio, quæ Spirituum eſt à ſuis corporibus ſeparatio, neceſſaria in hac arte: ſi fieri debeat verũ cõiugium Philoſophicum in opere minori.

De Multiplicatione, quæ aliàs Rectificatio dicitur.

POſtquàm Spiritus à corpore ſuo ſeparatus fuerit, corpus hoc accipe, ſiccumque pondera. Poſtmodùm in Cucurbitam poſtum, ſuffundatur ſucco Lunarię rectificato, ſuperpoſitaque roſtrata galea, perquàm optimè lutata, lentiſsimo quidem igne deſtilletur, donec puluis in fundo ſiccus remaneat. Huic affunde tantundem Lunarię quã tùm priùs, & iterum deſtilla. Hoc ipſum toties continuandum erit, donec in ſubtiſsimum puluerem & inpalpabilem, corpus reductum ſit. Aquæ deſtillatæ ſeruentur, &c.

De argento viuo exuberato.

EVacuationis aquas omnes in balneo, vel cineribus, igne lento deſtilla, donec in fundo Cucurbitæ materia ſit redacta in modum ſpiſsi Mellis, & infrigidato balneo, ſuperponatur huic materiæ tantùm aquæ multiplicationis, ut ſupernatet altitudine digitorum quatuor. Id in phyala clauſa per viginti quatuor horas digeratur in equino fimo, vel aliàs in balneo. Poſtea deſtilla per alembicum igne mediocri: quod autem deſtillatum eſt, ſeruetur. Infrigidato vaſe, rurſus aquæ prioris ad materiã in fundo remanentem, affundatur ut priùs, et fiat per omnia, prout narratum eſt. Proceſſus hic tam diu continuandus eſt, quouſq; tota materia dicta, ſurſum per deſtillationem aſcẽderit. Omnes aquæ hac via deſtillatæ, ſimul ponendæ ſunt, quæ Lac Virginis appellantur, aut argentum viuum exuberatum.

De Sulphure natura.

PVluerem impalpabilẽ rectificatione factũ accipe, qũé imbibes medietate ſui ponderis aquę per exuberationem deſtillatæ. Hæc in vaſe clauſo pones, ad nutriendum calore fimi diebus octo, quibus abſolu

tis,

tis, materia iam humectata, destilletur igne lento, siccetur q; modestè puluis, & aqua seruetur abstracta. Ponderato rursum huic pulueri, medietatē aquæ, vt priùs, affunde, facq; sicut antea toties, donec terra medietatem istius humiditatis, vel quatuor sui partes biberit: hoc ipsum experieris hoc modo. Si parum eius pulueris positū super laminā ignitam in fumū euolauerit, cōpletum est opus istud: sin autē imbibitiones, inhumationes & calcinationes itera, donec fiat quod audisti. Postquàm huiusmodi puluerem, uel terram, ad istum gradum reduxeris, ipsam in cineribus igne lento primùm, deinceps aucto, paulatim sublimabis ad latera vasis. Sublimatū hoc Sal à Philosophis dicitur, & Sulphur naturæ mirabile: quod si cum oleo Lunæ fuerit inceratum donec fluat, erit perfecta Medicina, cuius vnum pondus Iouis alia centum, si Sal ex Ioue sit, & si ex Saturno fuerit, eius pondera quinquaginta conuertet in perfectissimum corpus, &c.

De metallorum in oleum Philosophicum reductione liquefactioneq;.

A Calce cuiusuis metalli suum extrahatur argentum viuum, vti suprà dictum est succo Lunariæ. Tandem liquefactiones

omnes per Alembicum in balneo deſtillentur, vt materia maneat in fundo vaſis ad modum ſpiſsi mellis, &c. Frigefacto vaſe, ad ſpiſſam huiuſmodi ſubſtantiam, affunde Lunariæ tantùm vt ſupernatet quatuor digitis, & in fimo vel balneo viginti quatuor horis digerantur. Poſtmodùm in balneo Mariæ vaporoſo deſtilletur omnis liquor, vt materia ſicca maneat in fundo, cui Lunarię recentis, vt priùs tantundem affunde, vt emineat ſupra materiam digitis vt antea quatuor, & per omnia facias, vt audiuiſti. Proceſſus iſte reiteretur donec materia tota ſit in aquam ſublimatam & claram cõuerſa, quam octo dieb. inhumabis, & poſtea deſtillabis, ab eaque partes hoc modo ſeparabis. Igne ſuauiſsimo per balneum aquam abſtrahe totã, quæ per calorem hunc aſcendere volet. Infrigidato vaſe, deſtillatam aquam rurſus ad ſuas feces affunde, ſimulque per dies octo vel ſeptem in fimo vel balneo digeri permitte. Poſtea per cineres igne lento priùs, aucto poſtmodum, deſtilla totum liquorem. Hic demùm in balneo deſtilletur, donec liquor aliquis aſcendere velit. In fundo manebit oleum. Rurſus aquam deſtillatam per balneum, primis affunde fecibus, inhuma, deſtillaq; per balneum aquam inde totam, vt antea feceras, hanc iterum ſuper feces proijce, digere,

necnon

necnon per cineres, destilla totum liquorē, & hunc iterum per balneum, & in fundo manebit oleum acrius priori, viriumque magis igneārum. Processus hic tamdiu reiteretur, donec liquor totus argenti viui, per aquam à corpore suo separetur, in fundoq; maneat puluis impalpabilis. Sunt qui separationem elementorum hoc opere fieri dicant, ego verò nego quemquam Artificem, licet excellētissimum, hac arte posse elementa separare, sic vt quodlibet per se purum existat, absq; mixtione alterius. Quapropter partium volui separationem dicere, nempe liquoris, seu Mercurij, Sulphuris, & Salis. Nam oleum prius, & alterum, quod aëreum & igneum vocant, vnum & idem est, nec alia ratione differunt, quàm vnum aquæ magis in se continet, alterum verò minus, & ignis plus habeat. Argentum viuum hoc, per cineres à suo corpore tractum, iterum suam in terram sic reduci potest, vtpote: Puluerem impalpabilem imbibes medietate sui põderis, argenti sui viui. Postmodum inhumationibus, vel nutritionibus fac per omnia, sicut in alijs reductionibus dictum est.

De ſublimati prædicti Salis, in claram aquam reductione.

SVblimatum Sal quod ſuprà poſitũ eſt, in phyala clauſa perquàm optimè repo natur in fimum calidum vel balneum, octo vel pluribus diebus, donec in oleum aut vn guentum reſoluatur Philoſophorum. Si verò non ita facilè reſolueretur, adde Lunariæ quater rectificatæ partem aliquam, & ſic facilimè ſoluetũr.

De inceratione Sulphuris, aut Salis cum oleo prædicto.

HViuſmodi Sal vel Sulphur pone in tigillum, & prunas inter: cumque incaluerit, guttatim oleum ſupradictum inijce donec ad ſimilitudinem ſpiſsi Mellis rediga tur. Frigefactæ maſſæ huiuſmodi parum accipe, quod candelæ flamma ſi facilimè liqueſcat, erit opus hoc optimè completũ: ſin minùs, inceration em iterabis, donec ante Mercurij viui fugam leuiter fluat. Poterit etiam hæc inceratio cum auri vel argẽti quinta eſſentia fieri, quæ quidem à Philoſophis oleum incombuſtibile dicitur.

De

De mixtionibus metallorum in opere minori.

CAPVT.

METalla ſolida ſunt ſex: vtpote Saturnus, Iupiter, Mars, Sol, Venus & Luna, qui ſic diſponi vel componi poſſunt in opere minori Chymiſtico, videlicet. Metallum ſextum cum quinto iungitur, & cum Lunaria, vel quarto cum, aut ſecundo. Quartum cum ſecundo, vel ſextum cum quinto & quarto, vel idem cum quinto, quarto & ſecundo, vel quartum cum quinto. Quæ quidem compoſitiones cum Lunaria, mediantibus iſtis operationibus, calcinatione videlicet, ſolutione, euacuatione, multiplicationeque reducuntur in Spiritum, in argentum viuum exuberatum, in Sulphur naturæ, in tinctura m, in ſublimatum, & hoc inceratione per oleum in lapidem, eadem è quibus factæ fuerint compoſitiones, metalla conuertentem, &c.

De informatione Sulphuris naturæ, per olea Solis & Lunæ.

PHiloſophorum in arte metallorum tranſmutatoria eſt intentio, vt imperfectis metallis introducatur auri vel argenti perfecta

perfecta forma. Quapropter ab eis quæ suprà dicta sunt, considerandum erit qua ratione fieri queat hoc artificium. Primò perfecta metalla suum ad oleum, arte quæ suprà posita est, reducantur. Hoc autem Sulphura naturæ, Saliaque reliquorum imperfectorum scilicet incerentur. Inde pefectum resultabit opus, hoc serua.

De extractione Mercurij Philosophici, ab alijs corporibus, quàm à metallis.

CAPVT.

MErcurius potest à vino rubeo & albo per separationem extrahi, iuxta modum eorum essentiæ quintæ. Separabuntur hac ratione crassiores partes, id est elementa, quæ in fecibus remanebunt. Illaque si reducantur in tartarum suum, idq; per aliquot horas vel dies calcinetur igne violétissimo, reducetur in lapidem leuem. Hic subtiliter pulueratus in penario super marmoreum lapidem, in aquam oleo similem resoluitur. Destilla per filtrum, & ex eo fiat vt suprà de Sulphure naturæ diximus: vel Spiritus eius extrahatur per destillationis artificium. Nõ aliàs ex Melle, Chelidonia, floribus Anthos, aut Rorismarini, Mercuriali, rubeo Lilio, & sangui-

ſanguine humano, poteſt extrahi Lunaria per elemẽtorum ſeparationẽ, quã diximus: è quibus terra ſola ſumatur,&c. fiatque vt in rubeo vino & albo. Hæc ſeparatio cœli dicitur ab elementis, in arte noſtra Philoſophica. Verùm de liquoribus ad cœlum procedere poteris, vt in vino feciſti. Mercurius Philoſophorum vegetabilis, in omnibus corporibus elementatis reperitur: at in alijs magis, à quibus etiam elici poteſt faciliùs: vt ſunt vinum rubeum vel album, Mel nouum, Chelidonia, flos Roriſmarini, Mercurialis, Liliũ rubeum, Tartarum, & Sanguis humanus: in alijs verò minùs, à quibus tamen aliqui putarunt, vt à floribus, lignis, & lapidibus, elicere Mercurium huiuſmodi vegetabilem, at fruſtrà tentarunt opus. Nonnulli de propinquis principijs, vt Chelidonia, floribus Roriſmarini, Mercuriali, & Lilio rubeo ſuos in ſuccos redactis, per fimi vel balnei digeſtionem extraxerunt Mercurium noſtrum, vulgi Mercurio qualitate, pondere, coloreque perſimilem. Verùm, quia cum corroſiuis eũ ſublimarunt, nihil ex eo perficere potuerunt. Si hunc etiam, aut vulgarem abſque alterius materiæ mixtione reduxeris in aquã, aëre ſuo ſibi reddito, balneo Mariæ deſtillaueris ſepties, lumen habebis vnicum, Heterogeneum liquorem ad artẽ noſtram inutilem.

utilem. Mercurius igitur vegetabilis qui dictus est, ad cœli naturam est reducendus motu quo cœlum agitur, vtpote circulari, si ad artem hanc vtilem fore cupiat Artifex.

De nonnullorum in hac arte peritorum opinione, quod ad minus opus transmutatorium attinet.

CAPVT.

OMittere nolui, quod cum veraciorib. Philosophis concordare magis videretur, etsi per ambages discurreret, quo labyrinthum etiam Chymicum in mineralibus ostenderem, ex diuersis opinionibus, eumque ad simplicitatem reductum postea, quibusuis artis Chymisticæ studiosis patefacerem. Quod omnes varijs inuoluerunt integumentis, vt ab eorum scriptis videre licet. Non quod ea docere velim, sed potiùs illustrare lectoribus, vt intelligant, ac inde seligere possint optimum.

De fabricatione metallici lapidis, quod Elixir uocant.

SOlis partem vnam cum partibus quatuor Mercurij iunges in pastam, eo quo solent

ſolent ad obducendum argentum auro fabri magiſterio. Poſtmodùm adde Mercurij viui ſimiles partes octo. Hæc materia degeratur in cineribus igne lentiſsimo diebus ad minimum quadraginta. Deinceps extracta ponatur in Cucurbitam, & per Alembicum eius deſtilletur igne mediocri, donec aſcenderit. Hoc opere finito, pondera hoc quod in fundo Cucurbitæ remanſit: vbi pars una ſit corporis & Mercurij quatuor, benè quidem erit: aliàs addatur iterum ſublimatus uel deſtillatus Mercurius, & ut priùs deſtilletur toties, donec prædictum pondus habeatur. Hocipſum contere, miſce & incorpora ſimul, ac in ampullam uitream ad collum uſque ſepultam, in cineribus poſitum urgeatur igne mediocri, ſic in fundo reperies materiam floreſcentem, quam eximes fracto uitro, teres & coques donec in rubeum puluerem conuertatur. Huic adde pulueri, Mercurij deſtillati priùs tantundem ut antea: toties addes & exſiccabis, donec Mercurius totus in puluerem ſiccetur, omnino rubeum, & ſemifixum. Huius pulueris partem unam, in aceti ſex partes acerrimi ponas, & in uaſe clauſo bulliant horis tribus ut ſoluatur puluis. Euacua quod ſolutum fuerit, in aliud uas mundum & uitreum: ſi quid inſolutum remanſerit,

ſiccetur

ſiccetur,& igne coquatur cinerum, acetoq; ſoluatur, vt priùs in balneo vel cineribus,& euacuetur quod ſolutum fuerit cum prioribus euacuatis aquis. Proceſſus hic toties innouetur,donec materia tota ſit ſoluta, vel ſi non omnino diſſoluatur,cum eo procedendum erit, quod ſolutum reperitur.Solutionem iſtam in balneo Mariæ deſtillabis, donec tibi viſum fuerit acetum aſcendiſſe totũ: ceſſa tunc,& materia ſolutionis in fundo Cucurbitæ manens frigefacto balneo denſabitur, vt Mel. Congelatam hanc materiam ad ſerenum aërẽ noctu ponas, & tertia vel quarta nocte ſoluetur in claram aquam: hanc in vaſe clauſo digeſtam ſeptem diebus priùs,è Cucurbita per Alembicũ exprimes balneo, vel igne cinerum lentiſsimo,donec aſcendet aqua pura,quæ dulcis erit. Vaſe poſtea frigefacto, rurſum affundatur aqua deſtillata ſuis fecibus in fundo congelatis, & iterum deſtilletur vt priùs,toties imbibendo & deſtillando, quouſque materia tota ſoluta ſit. Hãc ſolutionem claram in ampulla coques, & in cineribus, donec aliquam deponat in fundo vaſis reſidentiam, quam ſeruabis,aqua clara per inclinationem euacuata. Claras aquas toties coques, vt ſuprà donec nullam reſidentiã faciãt ampliùs. Feces omnes quas collegiſti,calcina per dies tres,calcinatas

tas in aqua Sulphuris acuta ſolues, quod ſolutum fuerit, euacuetur, & non ſolutum calcinetur iterum, & ſoluatur vt priùs. Continuetur hic proceſſus, donec materia tota ſoluatur, & in igne cinerum congeletur & ſiccetur. Poſtmodùm accipe huius materiæ congelatæ partem vnam, & aquæ diſſolutæ partem æqualem, tere ſimul, & adde parum aquæ noſtræ acutæ, vt fiat ſicut paſta mollis. Hæc in Phyalam obturatam poſita, ſoluantur in balneo per quadraginta dies. Demum in cineribus calidis igne ſuaui congelentur, & congelatæ materiæ huic addatur aquæ ſuæ volatilis tantùm, vt in paſtam reducatur priori ſimilem, & iterum coquatur in balneo diebus ſeptem, poſtea congeletur, &c. Hoc toties continuetur, donec materia ſit fuſibilis ad lumen candelæ. Materiá hanc extollit ille, qui fuit Author eius, vt ego verear, tantas ei virtutes adſcriptas, ad Mercurium in argentum conuertendum recenſere. Ponere tamen volui proceſſum eius, quo Lectores videant, comparatione ad ea quæ ſcribuntur, à Philoſophis veris facta, quàm ſint, vt in alijs quibuſuis artibus, in hac erroneæ ſeducentesq; viæ. Quod quidē vt pateat apertiſsimè, ponam gradus omnes Philoſophicos, cùm operis Chymiſtici tranſmutatorij minoris, tùm operis maioris, per

quos necessariò debet Artifex ab vno ad aliud extremum facere transitum, aliàs inane fuerit opus atque deceptorium.

De Scala minoris operis Alchymiæ transmutatoria.

CAPVT.

ALchymia transmutatoria (prout ex libris Philosophorum videre licet) binas continet operationes. Vnam vocant minorem, quòd fortè materialem artē redoleat magis in exercitio, quàm Metaphysicam. Alteram uerò maiorem esse non immeritò volunt, quia non tam hominis industria fieri, quàm diuino quodam afflatu, miraculoque dicunt. Istarum viarum extrema similia fore uidentur, ima & media verò diuersa. Quapropter à diuerso fundamento Scalam exordiemur vtramque in eundem finem terminantem, hoc est in Medicinā duplicem, utpote metallorum & hominum. Fundamentum igitur Scalæ minoris est forma, de qua dicetur inferiùs.

De primo gradu Scalæ minoris Alchymiæ.

IN Scala minori forma primus gradus est, & illa dicitur actus de suo corpore tractus

cum

cum uehiculo, quo metallorum occulta forma Potentiam acquirit se manifestandi. Philosophorum verè naturalium est opinio, metalla quæuis manifestam formã imperfectã habentia, perfectam in occulto formam habere, hoc sic docent. Nullũ reperitur metallum imperfectum, quod non in se parũ aut multùm perfecti metalli cõtineat. Quapropter euidentissimum fore uidetur, illa fore in perfectionis via, sed propter caloris defectũ in locis in quib. generãtur, manserunt indigesta. Perfectorũ igitur forma libera, hoc est à suis compedibus & impedimentis corporeis, in materiam imperfectorum etiã à suis corporibus crassis immunem agere potest liberè, penetrantem omnia corpora liquefacta perfectam formam.

De secundo gradu.

HOcloco materia secundum Scalæ gradum obtinet, estq; naturæ Sulphur de corporibus tractum, in quam agit oleũ Solis aut Lunæ. Fatuũ sanè foret putare materiam hanc naturalem tantum, & arte non esse mutatam, quia minus obediens est materia naturalis cruda, quã ut actiões formæ recipiat, & inde formalis efficiatur. Nõ est sapientũ sentẽtia, ut ex perfectorũ forma, naturalis & impfecta materia statim absq; medio trãsfor

metur,ſed mediante Sulphure naturali tracto de imperfectis artificialiter metallis. Patet ex his igitur, utramq; nempe formam & materiã, de ſuæ materiæ potentia deductam ad actum exequendum. Nam in metallo quouis à natura producto, ceſſat motus in eo naturalis donec per corruptionem artificialiter excitetur, & ideo benè loquuntur, qui dicunt metalla naturaliter producta fore mortua, hoc eſt nihil agentia. Philoſophorum uerò metalla uiuunt, quia de potentia mortuorum, ad actum & vitam arte ſunt adducta. Per ea colligere Lector facilè poteris, quænam ſint metalla Philoſophica.

De tertio gradu.

SCalæ minoris corpus, eſt ſubiectum de quo Sulphur extrahitur naturæ. Talia corpora ſunt: Saturnus, Iupiter, Mars & Venus. Quatuor iſta ſolida ſunt, in quæ perfectionis actus cadunt: eſt unum adhuc actus huiuſmodi ſuſceptiuum, at non ſolidum ſed liquidum eſt metallum, ut argentum viuum. Alia quæ ſuperſunt ex numero ſeptenario uidelicet Sol & Luna, perfectione quidem non indigent, cum ſint perfecta naturaliter, at plùs quam perfectione Metaphyſica: quã uis Luna tamẽ in Solem etiam tranſmutari ualeat.

ualeat. Verum quod iſta duo formam adepta ſint á natura completam, & aliud, quia liquidum eſt, hic inter corpora Scalæ minoris non adſcribuntur, de quibus materia debeat elici, formæ patiens actum, &c.

De quarto gradu.

CORpora quæ dicta ſunt per Lunariam corrumpi ſoluiq; debent, quæ quidē cœli Philoſophici liquor eſt & Mercurius vegetabilis, per quem ad Sulphur naturæ peruenitur corporum. Sunt qui putant etiam Phyſici, quia vegetabilia cum ipſis mineralibus non conueniunt, eis ad opera metallica non utendum eſſe. Verum falluntur miſerè nimis, cùm rerum naturalium omnium catená ignorēt, ac ōnia quotquot ſint indiuidua ſub ſuis ſpecieb., & iſtas ſub generibus, necnon illa ſub unū genus generaliſſimum contineri, quo ſimul in vnum hoc, omnia cōueniunt, nec niſi ratione particularium formarum diſcrepant. Vniuerſalis uerò formæ ratione, non diſſonant à vegetantibus animātia, nec ab iſtis mineralia. Quæ transformanda ſunt igitur, à ſua particulari forma remoueri debent ad vniuerſalem ut aliam quàm habuerunt antea particularem induere ualeant. Nam eſt vniuerſalis

forma, quarumuis formarum ſuſceptiua nõ aliàs quàm cera ſigillorum omnium. Totum huius rei negotium in eo conſiſtit, ut particularia poſſint ad vniuerſalitatem reduci, cuius primum inſtrumentum eſt corruptio.

De quinto gradu.

SVperiùs abundè ſatis de calcinationibus dictum eſt, hîc verò conſideratur altiùs calcinatio: nam igne fit æthereo ſimili, qui eſt occultus in ipſa Lunaria. Hac via calcinantur corpora per ſympathiã, & nõ antipathiã, faciliùsq; reducuntur ad vniuerſalitatẽ, ad quã peruenire minimè poſſũt niſi p corruptionem. Corrupta forma particulari metalli, mox introducitur alia, qua corrupta, rurſus & alia magis ad vniuerſalem ſemper accedens, donec ad eam deuentum ſit operationibus quæ ſequuntur.

De ſexto gradu.

POſt calcinationem ſolutio ſequitur quæ calcis in aquam dicitur conuerſio. Neceſſaria quidem eſt hæc operatio, ut à corporibus, extrahi queat fiſcoſa materia mineralis, in qua totum ſecretum artis delitescit,

liteſcit. Non poteſt enim Spiritus à ſuo corpore perfecta fieri ſeparatio, niſi per ſolutionem, qua partes in compoſitione Phyſica ſimul adhærentes, meliùs diſiunguntur.

De ſeptimo gradu.

NOn poteſt vnica ſuffuſione Lunariæ facta, ſolutio fieri, quapropter opus eſt, poſt quamuis inhumationem, euacuationem fieri Lunariæ, quæ propriè deſtillatio liquoris hoc loco dici poteſt à calce: cui ſiccatæ recens affundi queat Lunaria, poſtmodum ut priùs euacuari. Spiritus in euacuationum aquas tranſit, &c.

De octauo gradu.

POſt multas affuſiones & euacuationes Lunariæ factas, donec ſuper laminam ignitam calx ampliùs non fumet, quod antea diximus, ut meliùs rectificetur & ſubtilietur corpus, ei tot affuſiones, & euacuationes Lunariæ fiendæ ſunt, quouſque fiat puluis impalpabilis, &c.

De nono gradu.

PRæcedenti gradu, Spiritum in euacuationum aquis fore diximus, quod non abſonum fore uidetur: nam per Simboliſationem, Spiritus cum Spiritibus facilè conueniunt, & ab ipſis vi Magnetis naturalis attrahuntur. Ignari ſunt quotquot contraria contrarijs attrahere nituntur, naturalium inter ſeſe non cognoſcentes amicitias, & inimicitias. Nam contra naturam eſt ut inimicus attrahat inimicũ: ſed quod amicus amicum expetat, à natura procedit. Cum igitur opus Chymicum ad imitationem operis naturalis fieri debeat, amicitia perficiendum erit.

De decimo gradu.

SPiritus dictus ab euacuationũ aquis elicitur per eleuationem, poſtquam ipſæ deſtillatione per Mariæ balneum facta, fuerint in ſpiſſitudinem Mellis redactæ, multiplicationum euacuationes affundendo, poſtea deſtillando ſæpiùs, donec totus liquor aſcenderit, qui dicitur argentum uiuum exuberatũ. Non eſt illud argentum uiuũ, ex argẽto viuo uulgari exuberato perſeptenam deſtil-

deſtillationem quod lumẽ eſſe dicitur vnionum, ſed eſt metallorum Spiritus, in argentum ſuum viuum exuberatus.

De undecimo gradu.

DEuenimus iam ad huius operis verũ coniugium, vtpote Spiritus cum corpore, per quorum coniũctionem, fœtus corporum & naturæ Sulphur oritur. Et hæc eſt vniuerſalis materia mineralis in hoc opere, quæ formam ſibi iunctam recipit, iuxta proprietates, vires & qualitates informantis. Eiusque rubeus color indicat nobis, hoc Sulphur à ſuo argento viuo proceſsiſſe (qui colores pallidum, viridem & nigrum habebat) ac ad aſſumendos purpureum & album colores idoneum eſſe.

De duodecimo gradu.

ORto fœtu, ſuis coloribus tingi debet, viridi croceoq́; : his denotatur ipſum à Luna & Sole tincturam ſui recipere debere. Sunt principaliores tincturę tamen, color niger, albus & rubeus, quos inter, multi ſunt medij, prout ipſa practica demonſtrat.

De decimotertio gradu.

NEc satis erit quòd Sulphur naturæ, p vndecimi gradus operationẽ in substantiam volatilem redactum sit: verùm etiam opus est, vt ad maiorem eius subtiliationem sublimetur, eo fit ad inceration em aptiùs.

De decimoquarto gradu.

NOn possunt meliori quæ sublimata sunt aridaque liquefieri, quàm oleo pinguedineuè, quæ sint eiusdem, cum liquandis naturæ. Hinc fit, ut Philosophi metallinum oleum excogitarint incombustibile de fixis corporibus tractum, quo suis metallis cum, fixatione liquationum inderent faciliùs atq; perfectiùs.

De decimoquinto gradu Scalæ minoris operis.

POstquam volatilia facta sunt metalla, fixari debent, ut fiat quod ab omnibus Philosophis præceptum est, fixum nempe volatile, & hoc denuo fixũ, ut pficiatur magisteriũ. Nec solum inceratione fixãtur sublimata,

limata, sed etiam liquabilia penetrabiliaque faciliter in corpora dura fiunt. Quæ duo necessaria sunt ad metallorum transmutationem. Siquidem quod argentum viuum vulgare perficere debet, nisi fluat ãte dicti Mercurij fugam ab igne, quò retinere valeat suũ comparem, nihil efficiet. Quod si etiam nõ penetret solida corpora, manebit in superficie, hoc est in manifesto solum tinget, aut transmutabit, in occulto verò non, & ideo non permanenter.

De decimosexto gradu.

OMne quod incorruptum, & imminutum igne, manet in eo tamquam Salamandra iubilãs, à Philosophis dicitur esse lapis, ut iste Philosophorum, qui melior semper igne redditur ac potentior, nec ab eius edacitate vincitur. Aliàs igne si consumeretur, potestatem non haberet alia tutandi ab impetibus ignis. Quapropter necessarium fuit ut Philpsophi Medicinam hanc ab igne tutam redderent, &c.

Hactenus opus minus Alchymiæ, vel minoris lapidis absoluimus, vnà cum suis extremis ac medijs gradibus. Iam æquum est ut etiam de maiori Philosophorum opere lapideq; loquamur. Hæc sunt. n. quæ sapientiam superãt mundanã, & à Dei sapiẽtia

concessã

conceſſa ſunt hominibus, vt videant, quàm admirabilis Deus ſit in ſuis operibus. Ita loquuntur Philoſophi, qui fecerunt experientiam artis iſtius. Quamobrem vtriusq; Scalæ figuram ob oculos ponere propoſui, ſicut ex eorum libris intellexiſſe potui hactenus. Et ſi fortè quid requiratur, ſupplere velis optime lector ignoſcereq;: nã ardua ſunt hæc, & ænigmatibus intricata magis, quàm captus vnius valeat.

Vniuerſalis

Vniuerſalis Medicina.

16. *Lapis.*
15. *Inceratio.*
14. *Oleum.*
13. *Sublimatio.*
12. *Tinctura.*
11. *Sulphur naturæ.*
10. *Arſ. ui. exuberatum.*
9. *Spiritus.*
8. *Multiplicatio.*
7. *Euacuatio.*
6. *Diſſolutio.*
5. *Calcinatio.*
4. *Lunaria.*
3. *Corpus.*
2. *Materia.*
1. *Forma.*

Venenum transformans. 16.
Fermentatio. 15.
Perfectum Ens. 14.
Operatio. 13.
Separatio. 12.
Colores. 12.
Generatio. 10.
Digeſtio. 9.
Alteratio. 8.
Diſſolutio. 7.
Mixtio. 6.
Elementa. 5.
Cœlum. 4.
Forma. 3.
Materia. 2.
Chaos. 1.

CAPVT.

Non ſecus, ac in opere minore fecimus, in opere maiore per ſingulos gradus eius Scalam aſcendemus, vt ad Medicinam vniuerſalem vtrinque peruenire valeamus, quæ morborum genera quæuis indifferenter curare perhibetur à Philoſophis, tam in hominibus, quàm in metallis.

De primo gradu Scalæ maioris operis Alchymiæ, Chaos dicto.

PRima rerum omnium transibilium creatura, secundum Philosophos Chaos fuit, & indigesta moles ac informis, nihil ominùs formam in se continens, ac materiam confusè: quod si in sua confusione manssisset, solum restitisset absque generatione. Quapropter Altissimus eius Conditro, à sua materia formam diuisit, ut non aliàs quàm in sua fœmina generaret masculus: iste Cœlum est, illa nimirum Elementa. Naturales nedũ, sed verè Metaphysici Philosophi, hoc opus non ex natura, sed supra naturã à Deo priùs ordinatum solo verbo, considerantes, Chaos vnum excogitarunt, ac per duorum coniunctionem, formæ suæ videlicet cum sua materia, confusè miscuerunt. A quo cœlum suum & elementa separarunt ut in mũdi machina factum esse videmus.

De secundo gradu.

PHilosophorum in hac arte materia, Luna dicitur Philosophica. Non secus in cœlo, Sol in Lunam agit proximè primoque tamquam in materiam propinquiorem & sibi magis conuenientem, & vtrumq; postmodùm in Elemẽta. Sed videamus quid sit Luna

na Philosophica: certè nihil aliud quã vniuersalis materia, continens in se quatuor Elemẽta sine forma. Talẽ esse materiam oportuit, ut ex ea Chaos cum altera sui parte componeretur. Nam si completam haberet formã, quid opus foret aliam addere? Cum in vna & eadem materia duæ formæ simul nõ conueniant. Dicet fortè quispiam Physiologus nullã esse formã siue materiam, neq; formã absq; materia. Respondemus dictũ hoc Physicum de particularibus intelligi formis & materijs, & non de vniuersalibus. Nam essentiæ quintæ quænã est forma quæso? si dixeris aqueã, arguemus, quia tũc essentia quinta non erit, sed quartũ Elementũ sic de cæteris.

De tertio gradu.

HOc in opere, forma dicitur Sol Philosophicus materiæ Philosophicæ iunctus: nam si huic nõ iungatur, non erit Philosophicus, & è conuerso materia dicta Soli simili nõ coniũcta, Philosophica dici nõ poterit ex opere maiori. Quapropter existimandum erit Chaos Philosophorum in hoc opere, compositum esse materialiter & formaliter ex Sole & Luna Philosophicis. At videamus quid Sol sit Philosophicus, profectò non aliud quam vniuersalis forma. Sed ut rem ipsam perlustremus, non aliàs quam

cœlestis

cœleſtis ille Sol formas & vires omnes actiuas in ſe continet: Lunaque cœleſtis etiam paſsiones opacas cum Luna terreſtri conuenientes: ita Sol terreſtris & Philoſophicus, cum Luna terreſtri & Philoſophica ſe habet hîc in terris. Verùm actiones & paſsiones iſtæ non ita manifeſtæ ſunt ac in opere Chymico Philoſophorum, &c. Sed hoc loco ſummè notandum eſt, Lunam cœleſtem in ſe cõtinere paſsiones immediatas & actiones mediasquia Sol agit in Elementa, per Lunæ medium, ergo Luna quid actionis etiam habet ſuum in Elementum, ſed à Sole, non aliàs quàm œconomus in famulos inferiores à ſuperiore Domino ſuum habet imperium. Elementum Lunæ potiſsimum eſt aqua. Solis autem ignis, poſtea terra. Sed aër mediũ inter Solem & Lunam tenet. Sol etiam terreſtris eſt ignis, igne terreſtri non conſumptibilis, & Luna terreſtris eodem aqua ſiccata, non etiam conſumptibilis. Ex his collige quid Sol & Luna ſint Philoſophorum in opere maiore.

De quarto gradu.

SIcuti naturale Chaos à Deo diuiſum eſt in cœlum & Elementa naruralia, Metaphyſicum etiam ad imitationem eius diuidi neceſſum eſt in Cœlum & Elementa Philoſophica.

loſophica. Dicitur enim cœlum Philoſophicum, Mercurius Philoſophorum, qui triplex eſt, vtpote vegetabilis, animalis & mineralis. Eſt etiam eſſentia quinta, formam vniuerſalem continens, & pars altera Chaos, quæ ſurſum aſcẽdit. Pars etiam dicitur volatilis, quæ fixam partem eleuare debet, ac Spiritus qui corpus in Spiritum cõuertere, hoc eſt volatile reddere.

De quinto gradu.

PArs Chaos inferior, à ſuperiori ſeparata ſunt Elementa, quæ corpus appellatur: hæc vbi per Spiritum eleuata fuerit, poteſtatem habet fixandi Spiritum, & ſecum in corpus redigendi, quapropter fermentum à Philoſophis appellatur. Non eſt quod quiſpiam putet Elementa ſeparari Philoſophicè, prout aliqui docent, iterumque ſimul cõponi, videlicet vnum ab alio ſeorſim, quod fatuum eſt & indignum Philoſopho. Sed Elementorum ſeparatio Philoſophica, fit à cœlo Philoſophico, & compoſitio Elementorum ſit cum eodem, &c.

De ſexto gradu.

POſtquàm aſcendere feceris (vt Philoſophi loquuntur) fœminam ſupra maſcu-

lum,id eſt materiam ſuprà formam,& deinceps maſculum ſuprà fœminam,hoc eſt formam ſuprà materiam,cœli fiet cum Elementis mixtio, quæ coniugium dicitur Philoſophicum.Aliqui de Gallo & Gallina generátibus ouum Philoſophicum allegoricè fabulantur,quæ non vſque adeò ſunt ob conuenientem abſurda comparationem, vt verba ſonant. Nulla ſiquidem generatio fieri poteſt,abſque duarum iſtarum partium coniũctione,formæ ſcilicet, materiæque, vel cœli & Elementorum.

De ſeptimo gradu.

NEc ſatis eſt partium factam coniunctionem,ſed oportet materiam ſeminales formæ partes in vtero ſuo concipere, per eiuſdem formæ diſſolutionem,vt ingrauidata materia fœtum parere queat Philoſophicum. Eſt igitur hæc operatio, coniugij Metaphyſici conſummatio.

De octauo grodu.

COnſummato matrimonio fit vnius in alterum conuerſio videlicet formæ in cœlum,& huius in formam, quæ quidem alteratio hoc in opere neceſſaria eſt,vt ex duo

bus

bus tertium quid vnum fiat. Nam seminibus coniunctis, nisi vnum in aliud alteretur, & è contrà non fiet embryon, &c.

De nono gradu.

FActa conuersione vnius in alterum, est opus digestione, qua sine vegetare nequit alteratum. Non potest enim fœtus in vtero Matris ad perfectionem duci nisi digeratur, & hoc temperatè. Quapropter videat Artifex in isto gradu, ne calor extrinsecus agens acrior, aut æquo sit remissior, sed vt naturalis in vtero digestionis calorem imitetur.

De decimo gradu.

PEr continuum fomentum calori naturali simile, deuenitur ad generationem quæ quidem initium est manifestationis occultæ priùs in seminibus formæ. Hęc autem aliàs fieri minimè potest quàm præcedentibus alijs operationibus, &c.

De undecimo gradu.

INterea dum ex vno gradu ad alium transitur, apparent varij colores, & hi sunt indicia scansus ab vno ad alium, per quæ

regere poteſt Artifex opus hoc, & ad ſuum finem ducere. Tres exiſtunt potiſsimi, quorum primus niger eſt, & indiciū concubitus formæ cum cœlo, embryonisque conceptionis in vtero Matris. Demonſtratur hic potiſsimùm in diſſolutione. Quum diminuitur, & in albedinem vergit, indicat cœlum & formam ad Ens perfectum, & hoc ad Venenum transformans initiū facere. Euaneſcente colore pallido, croceus oritur, iudiciumque nobis exhibet, fœtum Philoſophicum ad ſua membra diſponi, qui color in modum apparet circuli vel rotundæ Lunæ. Poſtmodùm euaneſcit croceitas & apparet nobis rubedo, quæ quidem fœtus complementum indicat, partiumque veram adunationem, &c.

De duodecimo gradu.

CONtinuo calore promouetur aſcēſus de gradu in gradum, & ſeparatur ab vno, vt ad alium accedat, quæ ſeparatio coloribus apparentibus dignoſcitur.

De decimotertio gradu.

GRadus operationum in hoc opere, nihil aliud ſibi vult, quàm vt Artifex animaduer-

maduertat consideretque summa diligentia quasuis mutationum varietates, vt ex eis cognoscere valeat regimen ignis, obseruareque simul ea quæ sunt in hac arte necessaria.

De decimoquarto gradu.

OMnibus istis gradibus ex ordine seruatis, fœtus Philosophicus ad perfectionem ducitur, & nascitur, & perfectum Ens nominatur: suis coloribus omnibus, & numero tertio completus, ad vnitatis simplicitatem est reductus: potens omnes infirmitates metallorum, & hominum indifferenter curare.

Do decimoquinto gradu.

SI contentus fuerit Artifex Ente perfecto non est quod procedamus vlteriùs, sin minùs, ab eo poterit transire ad Venenum transformans per multiplicationem, quæ hoc in opere fermentatio dicitur. Verùm per omnes gradus transeundum erit, per quos antea, facta mixtione Cœli, Formæ, & Entis perfecti. Continuetur opus, donec igne cõtinuato fiat transitus per Dissolutionem, Alterationem, Digestionem & Generationé, ad colores, & sic deinceps procedendo per omnia, sicut priùs, donec ad Venenum trás-

formans peruentum ſit,& ab eo rurſus ad aliud ſimile quoties Artifex voluerit in finitum.

De decimoſexto gradu.

POſtquam Artifex Ens perfectum adeptus fuerit,perfectum etiam Venenum transformans habere poterit,viribus ac Virtutibus efficacius Ente perfecto, modo qui ſuprà dictus eſt. Hac ratione cognoſci poteſt in vtroque facultatem ſui ſimilis generatiuá & productiuam eſſe. Perfectiuam autem eorum facultatem ab eo deprehẽdimus, quod ſummam rerum omnium perfectionẽ adepta ſint.

De Spiritali coniugio Philoſophico.

CAPVT.

MAtrimonium fac inter cœlum & formam,vel formam, in vaſe fortiſsimè clauſo,quod in continuo calore foueatur, vt fœtus in vtero Matris abſq; intermiſsione: ſic per Diſſolutionem, in Alterationem trãſibit, & primus color generabitur qui niger eſt. Hic nobis indicabit formam vel formá & cœlum tranſire per Diſſolutionem, Alterationem, Generationem & Operationẽ, & vinculum amoris factum inter formam vel formam

formam in cœlum conuerſam,& hoc in formam. Deinceps continuato fomento caloris,forma vel forma paulatim aſcendet in Digeſtionem & Generationem, quę per colores durabunt vſque ad perfectum Ens.Mortificatur enim color ille niger, donec albus appareat.Et quum forma vel forma,cœlum, & vas alba fuerint,indicium habes indubiũ oſſa neruosque fœtus Philoſophici, per tertium coniũgi numerum.Hæc operatio proſequitur vſq; ad croceum calorem:quo quidem orto, datur indicium formationis,corporis infantis Philoſophici, præparationis quoque ad Spiritus receptionem vegetabilis: quæ quidem operatio durat, quouſque croceus color euaneſcat, & rubeus oriri cœperit. Poſtquàm autem rubeus color huiuſmodi iam apparuerit, indicium eſt animam vegetabilem corpus infantis intraſſe Philoſophici, fœtumque in terminatione perfectionis, vel vnionis Spiritus cum corpore, per vinculum animæ iam dictæ fore. Tunc oportet Artificem interſtitios numerare dies,ab initio generationis, quod fuit in termino quo Diſſolutio ſuum adimpleuit gradum:his cognitis,duplo temporis ſpatio cõtinuabis ignẽ intermiſsione ſine: quo quidẽ abſoluto,frigeſcát omnia. Tandẽ reperietur ouũ illud Philoſophorũ optimè formatũ, q;

extractum, repones in vas aliud mundisimũ, & in furno decoctionis, vel balneo ficco lauetur, spatio dierum sex naturalium, igne continuo satis acri. Postmodùm exemptum serua: nam huius pondus vnum, duo millia potest in sui formam conuertere, sed extrinseca.

De Multiplicatione.

CAPVT.

OCcultarunt hactenus Philosophi suũ fermentum, at quid prodest occultũ? nihil sanè. Quapropter eorum occultationẽ, vt fas est, reuelare conabor. Accipe duas vncias formæ vel formæ, aut vncias duas cum dimidia, cœli verò libram vnam, & Entis perfecti drachmam. Iuncta simul omnia coquantur, vt suprà, dierũ spacio triginta: quo tempore perfectum Ens in Venenum perfectum atque transmutans conuertetur igne temperato, per colores transeundo, quousque rubeum atque rotundum corpus appareat, si ad rubeum informatum fuerit. At si ad album, cum albedine metallica. Notandum est igitur hoc loco bipartitæ prolis Philosophicæ, vel Metaphysicę differre colores. Nam color pueri masculi perfecti Veneni, variatur vt suprà. Sed puellæ color dicti Veneni pri-

ni primò viridis est cum rubore: secundò, croceus rubore splendido mixtus, qui partium in vnum coniunctionem, atque totum denotat. Color tertius est albus & splendēs, qui terminationis corporis dat indicium. Quartus est albo niueus & metallicus, indicans in corpus ingressionem animæ: quo percepto nasci debet è ventre Matris & eximi. Huius pondus vnicum aiunt, millia tria materiæ suæ multiplicare posse, multiplicationeque tertia quingenta millia, &c.

De tempore Metaphysicæ prolis ortus & nascentiæ.

NOn potest assignari tempus determinatum ortui Metaphysicę prolis, quia nonnunquam in septē nascitur mensibus, vt fœtus hominum æquo citiùs, ob excessiuū calorem, at non ita potens, aut bene temperata: aliquando post menses nouem æquo termino temperata: & aliàs tardiùs, propter caloris defectum, &c. Color est Artifici methodus optima, quum à dissolutione, seu prima coloris mutatione cœperit animaduertere: post quam oritur nigredo, quam caput Corui nonnulli vocarunt: à qua discat fœtī ad mixtionem per alterationem transiuisse. Quum autem apparet croceus color de for-

matione corporis, & membrorum certus esse potest. Orto verò colore rubeo, coniunctionem & ingressionē Spiritus in corpus medio quidem animæ certissimo credat, eoq; tempore, continuet ignem ad infantis ortū, & natiuitatem. &c. Sicuti iam de colore pueri dictum est rubei in eius generatione, de puellę coloribus iuxta suum ordinem priùs enarratum iudicabitur. Hoc est opus Philosophorum cætera quæuis opera mundi, Sapientiam etiam eius omnē excellens, quod assecuti sunt mortalium pauciſsimi, vt inter omnium literatiſsimos, vix è millies millib. vnus reperitur, qui hanc artem etiam legēs intelligat. Verè donum est Dei, nam alij reperiuntur qui hanc artem intelligunt, materiam & operandi modum callent, verùm si rem aggressi fuerint, nihil efficient. Quia voluntas est Altiſsimi conditoris omium, vt illi tantùm assequātur, qui mundo corde sunt pauperesq; diligunt: auaris autem non facilè continget.

COL.

COLLOQVIVM, QVO DOCETVR QVINAM ILli sint, qui ad hanc artem peruenire possunt.

Hermes, Pastor vel Fortunatus, & Chrysophylus Interloquutores.

CHRYSOPHYLVS.

PRAEDII tantillum quod reliquit mihi Pater, alere me non potest, nisi quid ad hoc officio mihi comparem, vel arte. Quapropter considerandum erit, qua via diuitias adipisci queã, siquidẽ odiosa paupertas est omnib. & mihi. Rus me cõferam, ibidẽ libentùs speculari, quàm in ciuitate plena strepitibus licebit. Si mecanicam artem didicero, perpetuos adsciuero mihi labores à diuitijs hoc sæculo remotissimos. Aulis diuitũ si me dedero, libertatẽ nullo venalẽ auro vendã, nec nisi longa post seruitia, canosq; capillos diues fiã: quod plurimũ adhuc versatur in dubio. Quod si mercator fiã, tantillũ hoc quod habeo fortunę prę cęteris ambi-

ambiguæ committo. Si Concionator, pau-
pertatem incurram, quam ſummopere fu-
gio. Si miles, vitam cum libertate paruo ſti-
pendio vendo. Si ruſticus, militum nunc ho
ſpes, modò præda futurus. Si nuncius, pere-
grinus perpetuus, æſtibus & algoribus qui-
buſuis expoſitus abſq; miſericordia. Si Do-
ctor & Iuriſconſultus, homo rixis, & contro
uerſijs obrutus. At ſi Medicus, quid aliud
quàm planctus audire perpetuò licebit, ac
tedia mortis? Nihil optare poſſum, quod a-
nimo ſatisfaciat, diuitiasque polliceatur abſ
que magno labore, præſertim cùm ex hære-
ditate parùm contigerit, hoc ipſum ita mul-
tiplicari nequit. Scio quid faciam. In arendā
(quod aiunt) alicui conſcribam ea quæ poſ-
ſideo, per annos aliquot vt modò numeret,
quo peregrè proficiſcar. Fortè peregrinus al
ter occuret, qui dabit conſilium. Iam aliquot
milliaria paſſuum abſolui, nec mihi quis ob
uiam factus, cui negotium hoc meum expo
nere valeam. Sed video Paſtorem in aëra ſpe
culantem, ac ſi foret Aſtronomus, hunc adi-
bo. Nam in ſimplicioribus hominibus plus
Sapientiæ latet, quàm in aſtutis manifeſta-
tur: habent & illi non ſecus ac iſti ſuam ra-
tionem. Salue mi Paſtor optime. PASTOR.
Te quoque ſaluum fore cupio. CHRY. Quid
nam in cœlo vides, quòd faciem intentam
habeas?

habeas? PAST. Video pluuiam breui casurã, sed tecta gregem reducere volo. CHRY. Malum omen, quod mox à pluuia sumit exordium, nec propter id progredi sinam: quis mihi vatum exposuit? Dic quæso frater, cùm cœli faciem iudicare noris, & hoc minimè te latere potest: quænam est via breuior, qua minimo labore peruenire licet ad multas diuitias? PAS. Nulla potior mihi videtur, quàm reperire thesaurum illius, qui quod suum nõ est alijs inuidens, vbi diutiùs vti nequit, abscondit. CHRY. Meliorem sanè solutionem dare nemo potuit, hoc vnum tamen deest, vbi nempe talis est reperibilis? PAS. Vbi tu dixeris, ego reuelabo. CHRY. Benè respondes, at non ex voto, vellesnè tu similem inuenire posse? PAS. Quid ni, vt ego è tot miserijs quibus inuolutus hactenus fui, liberarer. CHRY. Contra putaui pastoralem vitã esse tranquillissimam. PAS. Non inficias iero, si bonum colonum pastor nactus fuerit. CHRY. Quid audio, malus est herus tuus Paterfamiliâs? PAS. Suis optimus, famulis autem homo crudelis. CHRY. Mirum narras, quid ergo est, quo vos torqueat? PAS. Vides panem quo vescor, ab eo quo canis eundé esse, quũq; domum redeo cum grege, solus in angulo rodere cogor, quod abijciunt alij, nec id me lamentabundum reddere posset, nisi

nisi fustibus præter occasionem exciperet. CHRY. Alios etiam tractat hoc modo famulos? PAST. Minimè, sed quia peregrinus, & orbus vtroq; parente sum, vilipendor ab omnibus. CHRY. Itanè? si meus esse vis benignè te suscipiã. PAS. Nil optarem potiùs. CHRY. Quî poteris ab eo liberari? PAS. Tempus absolui quo suis addictus fui præceptis. CHRY. Bene est, valedicto veni mecum vbi gregem reduxeris. PAS. Placet, eamus. CHR. Omnibus vale dixisti? PAS. Maximè. CHRY, Quod est tibi nomen? PAST. Fortunatus. CHRY. Optimum si respondeat successibus. Adsit mihi tecum fortuna quę bona dicitur, mala verò procul hinc abeat. Dic Fortunate, scisnè locum aliquem in quo thesaurus lateat? FORT. Scio quidem, sed longè distat hinc. CHRY. Non refert, eò nos ibimus, viaticum enim habemus satis amplum. FORT. Non procul à solo patrio sedet mons excellentissimus Alchys dictus, sub quo fertur inexhaustas fore diuitias. Plurimi se conferũt eò, verùm quod asperrimi sit ascensus, pauciſsimi sunt eorum qui ad apicem pertingũt eius, in quo vir senex moratur: hic eos recipit, qui labores asperrimos inter ascendendum sustinere potuerunt, eosque ducit in antrum ex quo manant aurum & argentum abundantissima copia, tũ quod magis lau-

laudatur, ſanitatis liquor effluit morborum genera quæuis expellens. CHRY. Hocipſum eſt quod quæro. Quantum diſtat locus ille quem dicis? FORT. Milliaribus plus trecentis. CHRY. Non refert, etſi mille diſtaret, eò nobis eundum eſt. FORT. Vereor ne poſsimus montem aſcendere, nam è millibus vix vnus attollitur, noningentis abeuntibus, non priùs tamen, quàm plus millies tentarint aſcendere fruſtrà. CHRY. Audi Fortunate mi, ſi Fortuna tibi magis quàm mihi fauerit, in radice montis operiar donec redeas, partéque facias eius quod acquiſieris, idipſum & ego tecum agam ſi contigerit aſcendere me. Suntnè propè montem hoſpitia? FORT. Perpauca. CHRY. Satis erit modo habeamus vnicum, in quo ſocium alter expectet, quouſque redierit. Aſcendere tu non tentaſti quum adhuc eſſes in patria? FORT. Iuuenis admodum fui, nec ad radicem vſque montis vnquam peruenì, vix vno tamen à pago noſtro miliari diſtat. CHRYS. Nullos ampliùs parentes, aut ſanguine iunctos habes? FORT. Nullos quod ſciam. CHRY. Nec tibi quid poſt mortem reliquêre Parentes? FORTVN. Quid rereliquiſſent cùm ipſimet nihil haberent. CHRYSOPHYL. Deus bone, cùm tam prope montem

montem hunc diuitiarum habitarent, miror quod nunquam ascenderint. FOR. Non dubito quin tentarint sæpiùs, at non omnibus contingit adire Corinthum. CHRY. Videamus vtrum tuis parentibus euades fortunatior. At iam sesquimensem absoluimus in itinere hoc, putarem nos breui montem hũc visuros. FOR. Cras Deo dante videbimus ante meridiem. CHRY. Faxit Omnipotens vt fœliciter. FOR. En vides cacumen eius, post horas tres ad radicem venire licebit. CHRY. Quî fit vt non citiùs videatur? FOR. Impedit mons iste proximus, quem ascendere descendereque priùs oportet, quàm ad verũ peruenire. CHRY. Quo nomine vocatur hic? FOR. Ab ista parte mons dicitur industrię, & ab altera quidem ignauiæ. CHR. Cur ei duo nomina sunt indita? FOR. Quia quotquot montem adire volunt, industrios oportet fore homines & raros, qui post tergus ignauiã relinquãt, vti montem hunc descendentes. Ecce montem attigimus Diuitiarum, ascendamus. CHRY. Optime Deus, quàm aspera via hæc est, & prærupta rupibus. FORTVN. Nihil hæc difficultatis habet, si compares ad eam quæ futura. CHRY. Difficiliorem adhuc profers, animũ despondere me cogis. FOR. Non ita, iuuabo te quod potero. CHRY. Porrige quæso manum, vt saxum hoc superem.

FOR.

FOR. Euge viriliter ſcande. CHRY. Video mi Fortunate me futurum, qui ſocium expectare cogetur, quieſcamus hîc parumper, vt refocillemus animum. FOR. Rectè, ſedeamus hîc. CHRY. Mi Fortunate, ſi me contingat inferiùs manere, de quo non dubito, & aſcendere te, iam indica hinc vbi te locorum expectabo. FOR. Videsnè pagum hunc à ſiniſtris proximum? CHRY. Video. FORT. In eo bonum eſt hoſpitium vnicum, ſi tu huc aſcẽderis, ego te, ſin ego, tu me ibidẽ expectes. GHR. Quanto tempore manſurus es donec ad me redeas? FOR. Ab aliquibus audiui, nouem ad minùs integros menſes ibidem eſſe manendum, & annum integrum his, qui perfectas & abſolutas, id eſt inexhauſtas habere diuitias cupiunt. CHRY. Tam diu maneas, donec pro te meque ſatis adferas. Ego non recedã ab hoſpitio donec veneris. FOR. Surſum aſpice. Videsnè ſenem huc deſcendentem, nobis obuiam? CHRY. Quàm reuerẽdus vir hic eſt. FOR. Nonne viri ſapientiſſimi perſonam refert? CHRY. Ita ſanè, ſurgamus, propè nos eſt. FOR. Salutemus ipſum. CHRY. & FOR. Salue reuerende Pater. HERMES. Vos quoq; ſaluete filij. Quid hîc quæritis? CHRY. & FOR. Ad te ſurſum aſcendere cupimus. HER. Cuius gratia? CHRY. Diuitiarum acquirendarum, & Salutis liquoris.

HER. Nullis conceduntur, præterquàm illis qui montem hunc ascendere possunt. Experimini vos igitur, si viceritis coronabimini. CHR. Fortunate iuua. HER. Non licet, vterq; solus faciat oportet, & si alter alterum iuuare velit, non potest, imò seipsum retardabit. Hoc in loco probantur, qui diuitijs digni sunt, indigniq; reprobátur. CHRY. Deficiunt vires mihi, tu Fortunate vade si potes. HER. Animum resume fili, ne desponderis eum, sequere socium. CHRY. Non possum ô Pater. At precor saltem, vt indicare velis causam eius, cur vni magis quàm alteri negatur hic aditus. HER. Tui me miseret ô fili, verũ quòd aliàs iuuare non liceat, hac in re tibi satisfaciam, eiusque negotij dum socius ascendit, narrabo totam historiam. Septem sunt humanarum inclinationum Duces, totidemq; sunt earum Comites: vt quisq; Dux habeat quinq;: vtpote Saturnus, Iupiter, Mars, Sol, Venus, Mercurius & Luna. Qui Ducem habent propitium, & non reluctantes Comites, illi huc ascendunt, & non alij. CHRYSO. Non sat intelligo Pater. HER. Didicisti vnquam Astronomiam? CHRY. Nunquam Pater. HER. Difficilè poteris igitur intelligere. Verùm vt consolationi tibi sim, alia via rem aperiam: videlicet per naturalem & iudiciariam artem, qua quisque de seipso potest optimum

ptimum facere iudicium, ac de quouis alio, sed non ita leuiter. Saturnus itaque Dux est omnium studiorum vniuersalis, & præsertim abditorum. Iupiter quidem religionũ, Mars bellorum & controuersiarum, Sol regnorum, dominiorumque, Venus amorum, Mercurius negotiationum, & mecanicarũ artium, & Luna constantiæ. Qui Ducem habent Saturnum primum, Iouemque secundum, Solem Comitem primum, secundum Lunam, tertium Mercurium, quartum Venerem, & quintum Martem, vt socius tuus, facilè huc ascendunt. Verùm quibus Dux Saturnus est, & Mercurius proximus: Comes primus Mars: secundus Venus, tertius Iupiter, quartus Luna, quintus verò Sol, vt tibi, similibus, huc ad abditissima loca non facilè patet aditus. CHRYSOPHY. Abnegatus est illis prorsum accessus? HERMES. Ita natura, sed non arte. CHRYSO. Reuela mihi precor hanc artem. HERM. Lubens faciam. Summo studio Mercurium tuum in Iouem conuertere coneris, Martem in Solem, & Venerem in Lunam. CHRYSO. Qua ratione id facere potero? HER. Dic tu primò, quo te huc animo contuleris? CHRYSO. Vt ego ditarer. HER. In quem vsum appetis diuitias? CHRYSO. Vt absque sollicitudine

viuere posſim. HER. Audio, quum tibi soli benè foret, non curares de cæteris. Vides iã te fraternæ charitatis, in pauperes exercendæ penitùs immemorem esse? Mercuriumque tuum auarum sequutum fuisse. Contrà nitere nunc non tàm diuitias, quàm summã illam adipisci Medicinam, qua pauperes ægros à suis calamitatibus subleuare queas, & ita sordidum, auarumq; Mercurium tuũ, in candidissimum, splendidissimum & liberalem, pietatisq; plenum & charitatis Iouẽ inuerteris. Mars tuus eò studium tuum atq; Saturnum direxerat, vt in alios dominium appeteres, in te verò nullum. Contrà iam auxilio Iouis nitere vanos, ambitiosos & superbos appetitus regere, frœnareque tuos, ita Martem in alios imperiosum, in Solem tui dominantem, vitæq; malæ tuę reformatorẽ transmutabis. Venus etiam tua suaserat, vt in adimpletionem appetituum carnis omniũ diuitias has quæreres. Contrà modò castitatis & honestatis constanter amorem prosequere: sic lasciuam tuam Venerem in pudicissimam Lunam commutabis. Quum idipsum feceris, huc redi, & faciliùs tuo socio, qui paulò minùs montis medietatem, vt vides iam superauit, ascendes. CHRY. Libenter id facerem, at nõ possum, da quęso mediũm quo fieri queat mecum id quod admones.

HER

HER. Non est meũ dare tibi, nec velle tuum, sed miserentis Dei, qui preces exaudiet vbi fuderis, & ad ipsum contrito corde prorsum direxeris. Tamẽ, ut charitatis in fratrẽ (quod iussit Altissimus) ergo iuuẽ, explicabo latiùs quæ tibi iam dixi. Mox atque senseris auari Mercurij loculos, Christi paupertatem reco le. Contra vindictã & Martis nimiam Tyran nidem, oppone Christi patientiam, & cõtra Veneris lasciuiam templi Dei munditiam, quod cor est hominum. Breuiùs contra hæc omnia mortis memor & resurrectionis esto. CHRY. Ista facere quandoq; volui, sed mox ab illis cogitationibus ad alias retrahebar. HER. Et tu contra ab istis ad illas redire debuisti, continuoq; prælio sic vincere bono, hoc est oratione, malũ. Arma potissima quibus in hoc bello pręliandum, est oratio, qua robur & vires contra nostros inimicos acquirimus. CHRY. At mi Pater quàm diu mãsurus est apud te socius meus? HER. Anno si velit, aut nouem ad minimum mensibus. CHR. Da mihi librũ ô Pater ut interea studeã. HER. Alio studio iã non indiges, præterquã eo quod audisti. CHR. Saltẽ expone latiùs ea quæ de huiusmodi comitib. dicere non cõpleuisti. HER. Audi, repetam. Genus hominum vniuersum alicui studio peculiari potissimùm est intentum, & quiuis viuentiũ ra-

tione quidem vtentium. Hinc fit, quia Saturnus, qui generalis est, vt antea diximus, omnium studiorum Dux atque Pater, fœtum primus regit in vtero Matris, & interim eodem tempore comitatur Dux alter, loco tertio comes primus, quarto secundus, quinto tertius, sexto quartus, & septimo quintus. Verbi gratia, si quis Ducé alterũ, Iouế habeat, studiũ eius ad pietatem, charitaté & sanctimoniã dirigetur, modò Comes inde primus fautor sit istius inclinationis: vt si Sol, ad regnũ Dei: si Luna, constantissima professio futura est: Contrà si Mercurius, mercenaria: si Mars, cõtentiosa, mouẽsq; turbationes in Ecclesia: si Venus, delicijs inquinata. Studiũ autẽ quod Marte Duce regitur, primò Comite Sole, bello regnũ appetit: si Iupiter Ducé sequatur, ad pietatẽ: si Venus, ad lasciuiã: si Mercurius, ad auaritiã, & bonorũ ampliationẽ: si Luna, in cõseruationẽ pacis. Studiũ Solis, primò Comite Ioue, Regnũ appetit in gloriã Dei: si Marte, in sæuitiá atq; Tyrannidẽ: si Venere, ad voluptates: si Mercurio, ad opes accumulandas: & si Luna, in trãquillitatẽ patriæ. Veneris autẽ studium, primo Comite Ioue, ad honestum dirigitur matrimonium, in obseruationem sanctitatis: si Marte, ad voluptates: si Mercurio, ad quęstũ, vel ad lenocinijũ: & si Luna, in cõstantissimũ

fœderis

fœderis vinculũ: si Sole, ad opes & diuitias. Studiũ tamẽ ipsius Mercurij primò Comite Ioue, Mercimoniũ honestũ, aut artes licitas absq; dolo cupit: si Marte, latrocinia depræ-dationesq;: si Sole, dominiũ: si Venere, stu-prũ: si Luna, probitatẽ. Studium verò Lunæ primo Comite Ioue, conscientiæ sanitatẽ o-ptat: Marte cum, pertinaciã: cum Sole, Sapiẽ-tiã: cum Venere, castimoniã: cum Mercurio, partorum conseruationẽ: sic de cæteris erit Comitibus, vtsecũdis, tertijs, &c. iudicandũ. CHRY. At Pater, quî potest quis cognoscere Duces & Comites istos? HER. Vnusquisq; in seipso facilè potest, at in alio nõ ita facilè. CH. Precor vt id etiã reuelare digneris. HER. Au-di fili, sumã vt intelligas meliùs à teipso hoc exemplũ. Considera, quod fuit potissimum in hac vita studiũ tuum? CHR. Vt ego ditarer. HER. Iam habes iudiciũ inclinationis Satur-ni ad Mercuriũ. Latiùs, quod fuit aliud sub-sequẽs desideriũ? CHR. Vt otiosus viuere pos sem & liber. HER. Iã habes Martis inclinatio nẽ, qui metere cupit, quod non seruit, impe-rareq; nõ obedire. Quod fuit aliud? CHR. Vt in delicijs viuere possem. HER. Iã habes Ve-neris inclinationem. At non propterea de-sperandum est, quia tibi restant adhuc alij tres optimi Planetæ, quos in aliorum locum substituere potes. CHRYSO. Qui sunt ii?

HER. Dic iterum, cogitasti vnquàm aliquid boni post primas, quas antea recitasti cogitationes? CHRY. Aliquando fratris calamitosi vel egeni me miseruit. HER. Iam habes Iouis inclinationem, quam in Mercurij locum substituere potes: quid aliud cogitasti boni? CHRY. Me Deo diligentiùs, quàm antea feceram, obedire debere. HERMES. Iam Solis inclinationem habes, in locum Martis tui substituendam. Quid ampliùs boni tibi venit in mentem? CHRY. Vt à vanitatibus abstinerem. HER. Iam Lunę habes inclinationem, quam pro Venere commutare potes. Quod vbi feceris, huc redi, sic facilè monté ascendes. Vt etiam de alijs hoc iudicium facere valeas, ipsos ut ego te, interroga, & iuxta responsa iudica, Vale.

FINIS.

Grandia sunt hominum subitò labentia motu,
Irrita Virtutis, mœnia sacra manent.

ELENCHVS CAPI-
TVLORVM HOC OPVSCVLO contentorum.

ADmonendos esse Magnates à Dei Præconibus, ut Iuuentutem ad pietatem in suis ditionibus institui iubeant Pagina 296

AEnigmata quædam 200

Alteratio Scalæ maioris operis 418

Amicitia mutuis nisi frequentationibus foueatur, sterilis erit, è contrà fœcundissima 274

Amor Philosophicus 127

Apologia contra Leonem Suauium. I. G. P. 202

Aqua uitæ ad aurum poculentum 195

Arcanum Metaphysicum 43

Argentum uiuum exuberatum 408

Aurum potabile 194

Calcinatio metallica 364

Calcinatio Martis & Veneris 373

Calcinatio Saturni & Iouis 369

Calcinatio Solis & Lunæ 373

Calcinatio metallorum ad opus minus 388

Calcinatio Scalæ minoris 406

Calcinatio Salis marini uel fossilis 366

Calcinatio Salis nitri 367

Calcinatio Vitrioli 365
Chaos Philosophicum 414
Cœlum quibusuis rebus ineſſe 37
Cœlum Scalæ maioris 416
Cognitio Philosophica 120
Colloquium, in quo Sophista & Chymista patrem Hermetem consulunt 233
Colloquium, quo declaratur quinam ad hanc ariem peruenire sint idonei 427
Colores Metaphysici 419
Comparatio inferiorum ad superiora 13
Comparatio Magisterij Metaphysici, ad mundi creationem 63
Compositio Elementorum Philosophica 65
Conclusio Metaphysici Magisterij 84
Conclusio per Interpretem 85
Congelatio Philosophica 53
Congelatio lapidũ pretiosorũ arte fabrefactorũ 380
Coniugium Spiritale Philosophicum 422
Coniugium Philosopherum Chaos 386
Corpus minoris operis 404
Consilium à uetustißimis amicis esse quærendum 266
Creatio unius per unum increatum 17
Criminis maturi, meßus est supplicium 353
Digestio maioris operis 419
Diligentia Verbi Dei Ministrorum in promouendis bonis conatibus 300
Dispositio Magisterij Metaphysici, ad mundi creationis ordinem facta 20

Dissolutio

0035228

Dissolutio metallica 388
Dissolutio minoris operis 406
Dissolutio maioris operis 418
Elementa Philosophica 417
Euacuatio Chymica 407
Expositio gradium Philosophicorum 170
Expositio quorundam arcanorum 196
Extractio Mercurij Philosophici ab alijs corporibus, quàm à metallis 396
Fabricatio lapidis quem Elixir uocant 398
Fabricatio pretiosorum lapidum 378
Fatum ult exequutionem 326
Fermentatio Philosophica 422
Fœcunditas Magisterij Metaphysici 16
Fœtus Metaphysici coniugij 36
Forma minoris operis 402
Forma maioris operis 413
Frequentia Philosophica 156
Fructus Medicinæ Metaphysicæ, quoad humana corpora 57
Genealogia Mineralis 247
Generatio Philosophica 419
Gradus Philosophiæ speculatiuæ 97
Inceratio Sulphuris cum oleo 394
Inceratio minoris operis 410
Informatio Sulphuris naturæ 395
Instru-entum Physicum & Metaphysicum 49
Lapis Philosophorum 411
Lunaria Philosophica. 405

Magisterium naturæ cum suis instrumentis & materia 22
Manifestatio materiæ Metaphysici magisterij 68
Mater Metaphysicæ prolis 33
Materia minoris operis 403
Materia maioris operis 414
Medicina universalis 12
Mendacium persuadendum pallio falsæ Rhetorices indiget 315
Miraculum Philosophicum 169
Mixtio metallorum in opere minori 395
Mixtio maioris operis 417
Modus compositionis Elementorum Philosophicus 67
Motiua descriptionis Apologeticæ contra Leonem Suauium. I. G. P. mordicùs & perperam Authorem carpere præter æquitatem non erubescentem 199
Multiplicatio, rectificatioq; 389
Multiplicatio minoris operis 407
Multiplicatio maioris operis 424
Mysterium totius mundi Physicum 42
Nihil occultum quod suo tempore non reueletur 347
Nutrimentum Physicum & Metaphysicum prolis Metaphysicæ 40.41
Oleum operis maioris 410
Oleum Philosophorum 391
Oleum Solis 19
Operatio metaphysici Magisterij 46
Operatio maioris operis 420
Opinio quorundam in opere minori 398

Optio

Optio filiorum de uita labore paranda. 258
Pater Metaphysicæ prolis 30
Pœnitentia, uitiorum ab Anatomia radicẽ accipit 332
Perfectum Ens 421
Periclitatio rerum adulterinarum ad omnem falsitatem refugium habet 310
Potentia Philosophica 167
Præparationes metallicæ 362
Principia prima naturæ tria 25
Probatio Magisterij Metaphysici 8
Proiectio Medicinæ Metaphysicæ 62
Purificatio secunda Metaphysicæ materiæ 47
Quantò magis tegitur uitium, nudiùs in lucem emergit 350
Qui foueam alijs parant, in eam plerunq; decidũt 359
Quod per se Diabolus nequit, per alios exequitur 334
Quod à Veritate sumit exordium, ad bonum finem peruenire necessum est 342
Reductio sublimati Salis in aquam 394
Sal Philosophorum 194
Sapientia puerorum cœlitus data, superat omnem humanam Sapientiam 305
Satio Physica seminum cœlestium 44
Satio Metaphysica 45
Separatio Metaphysica 420
Simplicitas hominum à Vulpibus facile decipitur 319
Similitudo inferiorum & superiorum 10
Similitudo Magisterij Metaphysici, mundiq; separationis physicæ 14

Sol & Luna quibusnis insunt naturaliter 35
Sollicitudo parentum de filijs erudiendis 253
Solutio Philosophica 50
Spiritus Aquæ uitæ cum Chelidonia 195
Spiritus in opere minori 408
Studium Philosophicum 108
Sublimatio 374
Sublimatio metallorum calcinatorum 375
Sublimatio minoris operis 410
Sulphur naturæ 390
Sulphur in opere minori 409
Tabula Hermetis 1
Tempus Metaphysicæ prolis, ortus & nascentiæ 425
Tinctura Solis, id est Auri 188
Tinctura Coralij 190
Tinctura Balsami 191
Tinctura Antimonij 192
Tinctura Salis Philosophorum 193
Tinctura minoris operis 409
Triplicitas materiæ Metaphysicæ 70
Transmutatio metallorum in pretiosos lapides artificiales 376
Veritas Magisterij Metaphysici 6
Veritas Magisterij Physici 3
Vires Metaphysicæ prolis 55
Virtus & potentia Solis Metaphysici 60
Virtus Philosophiæ speculatiuæ 162
Vnio Ternarij Metaphysici 92

Vocatio

Vocatio priusquàm aggredi quoduis officium est optimè probanda 284
Vtilitas Magisterij Metaphysici 56

Errata crassiora quæ post impressionem reperta sunt, corrige Lector.

Pagina 5. linea 26. lege, aurum. 38. 23. sesquipedalis. 51. 27. partim. 76. 21. propinquiùs. 108. 28. ait Hermes. 111. 24. est in id. 133. 23. si, pro se. 139. 7. de fluuio fontis. 164. 8. post faciat, insere, Quapropter mirandum non est, homines fide miracula fecisse. 211. 29. tu tibi minimè. 230. 22. destillatarum. 290. 7. eorum nomine. linea 8. ipsos. 194. 1. ante Deum, Lætus. 322. 24. norunt. 328. 20. tegitis. 369. 16. falsos. 374. 6. strictum. 406. 24. viscosa. 414. 9. Conditor. 415. 9. forma sine. 423. 11. colorem. 429. 2. sub tecta. 432. 8. post noningentis insere, & nonaginta nouem.

00035228